

rum dictæ Terræ. Quicumque vero contra prædicta ; vel aliquod prædictorum scienter, & dolose dixerit, tractaverit, vel fecerit, condemnetur per nostrum Potestatem, vel Vicarium in libr. quingen-  
tis denar. & in majori, vel minori quantitate ad arbitrium Domi-  
norū Potestatis, vel Vicarii, & Priorum, considerata qualitate fa-  
cti, & conditione personarum, quod Statutum in Terra nostra sem-  
per valeat, & inviolabiliter observetur.

*De pena trahentis aliquam personam ad aliam curiam,  
quam ad curiam Montis Sancti.*

## C A P. XLIII.

**I** Tem dicimus, & præsentī Statuto firmamus, quod nullus de Terra Montis Sancti, vel habitator ejusdem audeat, vel præsumat trahere, velducere, vel citare, vel citari facere directe, vel indirecte, vel per obliquum, vel alio quovis modo aliquam perso-  
nam de Monte Sancto, vel habitatorem ipsius ad aliam curiam, vel forum, quam ad curiam, vel forum Montis Sancti civiliter, vel criminaliter, vel pro aliquo facto civili, vel criminali, vel alio modo videlicet in primis causis contra formam Privilegiorum dicti Comunis, & contra formam jurisdictionum, vel libertatum ejusdem eidem Comuni concessarum; contrafaciens condemnetur per nostrum Potestatem, vel Vicarium in lib. C. den. & ad omnia damna, & interesse parti tracte, & ducte ad aliam curiam, seu forum contra supradictam formam, & in majori, & minori quantitate arbitrio Potestatis, Vicarii, & Priorum.

*De furtis, & rubbatoribus, & eorum pena.*

## C A P. XLIV.

**F**urtum faciens rei alienæ, vel eam rem per vim accipiens con-  
tra voluntatem domini dictæ rei in Terra Montis Sancti, vel  
ejus territorio præterquam in strata Portus, in Portu, vel in litore  
Maris, si tales res fuerint valoris C. solid. denar. vel inde infra, talis  
delinquens in libr. xxv. denar. condemnetur, quam condemnationem  
si dictus condemnatus non solverit infra x. dies à die sententiæ com-  
putan-

putando talis sic condemnatus cum sono tubæ publice fustigetur per Terram Montis Sancti. Si vero res furata, vel per vim ablata fuerit valoris à C. solid. denar. usque in x. libr. denar. inclusive, tunc talis sic delinquens condemnetur in libr. L. denar. quam pœnam, si ve condemnationem si dictus condemnatus non solverit infra x. dies à die latè sententiæ computandos, talis condemnatus publice cum sono tubæ per Terram Montis Sancti fustigetur, & reducatur ad carcerem, nec inde extrahatur, donec solverit dictam pœnam, & summam. Sed si res furata, vel per vim ablata fuerit valoris à x. libr. denar. usque in vigintiquinque libr. denar. inclusive, talis sic delinquens condemnetur in libr. C. denar. quam condemnationem si talis condemnatus non solverit infra x. dies à die latè sententiæ computandos, q; talis sic condemnatus per Terram Montis Sancti publice fustigetur cum sono tubæ, & nihilominus reducatur ad carcerem, donec dictam summam solverit. Sin autem res furata, vel per vim ablata fuerit valoris à xxv. libr. denar. supra quantacumque sit valoris, tunc talis sic delinquens condemnetur in libr. CL. denar. quam condemnationem si non solverit ipse infra x. dies à die sententiæ computandos, eo casu talis sic condemnatus fustigetur publice per Terram Montis Sancti cum sono tubæ, & post fustigationem tribus scissis cordæ tormenti Palatii affligatur, & nihilominus reducatur ad carcerem, donec solverit dictam pœnam; & in quolibet supradictorum, & infrascriptorum casuum semper in sententia condemnetur ad extimationem, & emendationem rei furatae, subtractæ, vel per vim ablatæ, vel ejus extimationis dominis dictarum rerum cum duplo extimationis dictarum rerum, quæ omnes supradictæ pœnæ locum habeant pro primo furto per aliquem commisso. Si vero aliquis supradictorum condemnatorum de primo furto non emendatus fuerit, & secunda vice furatus fuerit, vel per vim rem aliquam alicui acceperit contra voluntatem dictarum rerum domini, tunc talis sic delinquens secunda vice condemnetur in duplo supradictarum pœnarum pecuniarum, car. secundum distinctionem suprascriptam cum conditionibus, & adjectionibus personalis pœnæ supra in quolibet supradictorum furtorum, & acceptionis rei per vim insertis impositis. Quæ conditio personalium pœnarum non intelligatur duplicita, sed tantum semel puniatur. Verum si aliquis plura furtæ fecerit occulte, non tamē

sit publicus, & famosus fur, vel non fuerit alias de furto aliquo condemnatus, tunc pro quolibet furto per eum commisso condemnetur secundum suprascriptam distinctionem furorum in pœnis pecuniariis, & in defectum solutionis in pœnis personalibus supra positis. Quæ omnes supradictæ pœnæ ratione temporis nocturni, si de nocte commissa fuerit supradicta furta, debeant publicari quantum ad pœnas pecuniarias, & non alia ratione, nec etiam duplicitur quantum ad pœnas personales. In quibus casibus omnibus, & singulis talibus delinquentibus profint beneficia confessionis pacis, & solutionis infra terminum Statuti positi supra de beneficiis confessionis, pacis, & solutionis &c. aliquo alio Statuto non obstante. Qui vero se reposuerit in aliqua Silva, domo, vel cassina, vel in aliquo loco Terræ, vel territorio Montis Sancti causa aliquem derobandi, vel capiendi profaciendo eum redimi furcis laqueo suspendatur, ita quod pœnitus moriatur. Publici vero, & famosi latrones, & rubatores stratorum suspendantur ad furcas, ita quod pœnitus moriantur, quæ etiam locum habeant, & intelligentur, quando quis ex supradictis omnibus aliquod de prædictis fecerit, vel commiserit in Terra Montis Sancti, vel ejus territorio. Furtum autem commitens rei alienæ invito domino rei, vel rem per vim accipiens contra voluntatem domini rei ablata in strata Portus, in Portu, vel in litore Maris in territorio Montis Sancti, si res furto subtracta, vel per vim ablata fuerit valoris usque in xx. solid. den. inclusive, tunc talis sic delinquens, si fuerit de die, in libr. L. denar. si de nocte, in libr. C. denar. debeat condemnari, quas condemnationes si dictus condemnatus non solverit infra x. dies à die latæ sententiae computandos, qui per Terram Montis Sancti, usque ad locum ubi maleficium commiserit publice fustigetur cum sono tubæ. Si vero res furto subtracta, vel per vim ablata fuerit valoris à xx. solid. denar. usque ad x. libr. denar. inclusive, tunc talis sic delinquens si fuerit de die, condemnetur in libr. C. denar. si de nocte in libr. CC. denar. condemnetur; tales condemnationes, si talis sic condemnatus non solverit infra x. dies à die latæ sententiae numerandos, q; fustigetur cum sono tubæ usque ad locum commissi delicti, & post fustigationem tribus scosis cordæ tormenti Palatii affligetur, & ad carcerem reducatur, nec inde extrahatur, donec solverit dictam summam. Intell-

telligatur tamen, quod prædictum maleficium commissum fuerit in strata Portus, in Portu, vel in litore Maris in territorio Montis Sancti. Si vero res furto subtracta fuerit valoris x. libr. aliquo proximo dictorum locorum fuerit valoris x. libr. denar. supra quantumcumque fuerit valoris, tunc eo casu talis sic delinquens condemnetur in quingentis libr. & fustigetur ut supra, quam pœnam si non solverit infra x. dies furcis laqueo suspendatur, ita quod pœnitus moriatur, & etiam anima à corpore separetur, & prædicta vendicet sibi locum, ubi specialis pœna per formam nostrorum Statutorum alias pro furto commisso non esset imposita, ut in sequentibus.

*De furtis retium avium, & piscium, vel impedimentis eorum.*

#### C A P. XLV.

**S**I quis rete alienum non voluntate domini, vel possessoris furtus fuerit, vel acceperit, solvat x. libr. denar. & quod in alterius rete piscaria, pantera, cimali contali, vel laqueo per alium licite postum aucupaverit, piscaverit, manu traxerit, vel pisces aves inde traxerit non voluntate principalis, qui ipsam posuerit, extraxerit, vel paraverit in C. solid. denar. pro quolibet, & qualibet vice puniatur, & qui in prædictis, vel aliquo prædictorum tedium, vel paventationem intulerit in xl. solid. denar. vice qualibet puniatur, & in quolibet dictorum casuum semper damnum pacienti emendatur. Salvo quod liceat domino in sua possessione accipere de avibus, vel de piscibus, aut de venatione, quas, vel quem de prædictis invenerit sine pœna, & banno retibus, & similibus rebus, qui posuerit semper salvis.

*De furtis animalium setelliorum, & ferementorum.*

#### C A P. XLVI.

**B**Ovem, vaccam, vitellum, equum, equam, ronzenum, polledrum, polledram, mulum, mulam, asinum, asinam, & his similia furens, seu deprédans; aut rapiens de die, vel de nocte in Monte Sancto, vel ejus districtu in libr. L. denar. condemnetur, quam pœnam non solvens infra quindecim dies publice fustigetur

190

## LIBER

getur per Terram , & per gulam ad carenam Comunis ligetur ; & quinque scosis cordæ tormenti nostri Palatii tormentetur , & demum in carceribus Comunis detineatur , nec relaxetur primo , nisi condemnationem cum effectu solvetit , & damnum parti emendet in dupplum . Si agnum , hædum , hyrcum , capram , pecudam , montonem , canem , gallinam , vel eorum , vel aliarum generis animalis valoris duorum solid. & ab inde supra in x. libr. denar. puniatur . Fermenta autem settilia , aut instrumenta laboratoria , seu artificialia , vel aliquid eorum furatus fuerit , vel abstulerit non cum voluntate domini , seu possessoris pro quolibet vice in C. solid. den. condemnetur , & in quolibet dictorum casuum damnum patienti emendet in dupplum .

*De interfectoribus animalium.*

## C A P. XLVII.

**A**lienum equum , equam , bovem , vaccam , asinum , asinam , mulum , mulam , vel his simile aliud eorum generis animal occidens cum armis , vel sine in xxv. libr. denar. condemnetur , & ad damnum , & emendationem in dupplum , nec de carceribus dimittatur , nisi prius facta tam poenæ , quam commendationis solutione . Pecudam , capram , porcum , gallinam , & his similia , vel eorum generis animalis valoris duorum solid. vel ab inde supra , vel canem , anetram , anserem , vel eorum generis , & his simile , vel columbum domesticum interficiens in xl. solid. denar. pro quolibet , & quilibet vice condemnetur . Percutiens autem , & non occidens aliquod prædictorum in quolibet casu puniatur in dimidia ad similitudinem casuum præmissorum , & semper damnum parti emendetur in dupplum . Excipimus tamen canem ferocem , qui occisus , vel percussus fuerit in ferocitate , & resistentia persequutionis , quam fecerit contra aliquam personam , vel contra aliquod animal domesticum . Item excipimus porcum , scrofam , pecudem , capram , & eorum generis animal , quod occisum fuerit repertum per dominum , familiarem , vel laboratorem , alicujus horti , canneti , vineæ , terræ bladæ , vel olivatæ , dum sint ibi poma olivarum in damno . Siquidem ipsorum animalium aliquod damnum daret in aliqua dictarum rerum exclamato prius alta voce ipsorum animalium custode ,

&amp; non

## TERTIUS.

191

& non expellente ipsum animal de damno . In quibus exceptuatis casibus percutiens , vel occidens nullatenus teneatur .

*De furtiva re pœnes aliquem reperta.*

## C A P. XLVIII.

**S**i furtiva , vel male ablata res apud aliquam personam inveniatur , quam aliquis conditionis dixerit , & saltim proprio jure firmaverit suam esse , & sibi præter suam voluntatem subtrahita fuisse . Is pœnes quem , vel in alicujus domo , aut loco reperta fuerit , nisi statim infra tres dies , vel ultra Judicis arbitrio statuendos probaverit qualiter sine vitio suo res ad manus ejus pervenerit , sed potius confuse contendendo putaverit non probando causam prædictam , tunc talis detentor , sive possessor dictæ rei teneatur de furto , & rem restituere compellatur , nisi publice , & palam ipsam rem ab aliqua persona bonæ conditionis , & famæ recepit aliquo iusto titulo alio , quam donationis , quo casu talis , qui talem rem , tali titulo , vel causa in tale possessore transtulerit summatim , & de facto compellatur per regimen cum effectu ad conservandum indendem talem possessorem .

*De furto , & dissipazione apium , & examium .*

## C A P. XLIX.

**A**Pes , & eorum fructuum , aut examem , seu vas , in quo appeter esset quisquis furatus fuerit , corruperit , vel devastaverit præter voluntatem domini , vel possessoris in xxv. libris denar. condemnetur .

*De malitioso domus ingressu.*

## C A P. L.

**D**omum alterius infra Terram Montis Sancti positam præter domini , vel habitantium licentiam de die , vel de nocte , si quis occulte , malitiose , vel violenter intraverit , siquidem est monasterium mo-

192

## L I B E R

monialium puniatur vice qualibet in quinquagintis ducatis aureis si-  
ne aliqua diminutione. Si vero etiam domus alia privata non mo-  
nialium in xxv. ducat. aureis vice qualibet puniatur sine aliqua di-  
minutione. Et intelligatur malitiosus ingressus, si ex aliqua presum-  
ptione, vel inditio apparuerit intrasse, vel inventus fuerit. Si vero  
extra Terram in aliquam domum, vel cassinam, aut molendinum  
alterius aliquo dictorum modorum quis intraverit, vel repertus fue-  
rit in x. libr. denar. puniatur. Et persona malæ famæ, vel veri-  
militer suspecta aliquo dictorum modorum si inventa fuerit intrasse  
etiam per minus legitima indicia pœna condigna sequatur. Et qui  
aliquam dictarum rerum intraverit post prohibitionem à domino fa-  
ctam, vel familiari, seu factore, aut nuntio, tunc ipso facto, &  
jure intelligatur, & reputetur malitiose intrasse, & pœna jam di-  
cta puniatur.

*De pœna accipientis aliquam cartam, vel rem  
de manibus alicujus,*

## C A P. LI.

**D**E manu alicujus præter voluntatem retinentis, si quis injurio-  
se, & dolose aliquam cartam, librum, vel instrumentum  
acceperit, extraxerit, vel exgraftinaverit, condemnetur in libr. L.  
denar. Si autem dictam cartam, librum, vel instrumentum lacera-  
verit contra voluntatem domini dictarum rerum in libr. C. denar.  
pro tali audacia, & excessu infallibiliter condemnetur, si prædictam  
fecerit dolose, & injuriose. Et si aliam rem de manu alterius dicto  
modo. quis acceperit valoris xii. solid. vel ab inde supra si infra  
Terram in x. libr. denar. si extra Terram in C. solid. denar. punia-  
tur. Minoris vero valoris rem de manibus alterius dicto modo acci-  
piens ubicunque in xl. solid. puniatur.

*De pœna turbantis, vel occupantis possessionem.*

## C A P. LII.

**P**ossessionem apud aliam constitutam, & pacifice detentam à  
possessore per annum continuum, vel ultra, sive mobilis, si-  
ve immobilis rei violenter, vel clam auferens, aut aucupans autho-  
ritate

## T E R T I U S:

193

ritate videlicet sua, & sine Judicis licentia, vel decreto, siquidem  
res esset valoris xx. solid. vel minus in C. solid. denar. condemnetur  
Conunis, & nihilominus rem ablata summam, & de facto per  
Judicem restituere spoliato compellatur, sive omni sportularum so-  
lutione, & à jure suo ipso facto cadat, & cecidisse intelligatur. Si  
vero majoris valoris, vel extimationis res fuerit, vel esset cuius pos-  
sessio dicto ablata, vel obligata extiterit, tunc talis spoliator eodem  
modo suo jure privetur. & intelligatur privatus, & possessionem re-  
stituat spoliato, & nihilominus in L. libr. denar. puniatur. Si ve-  
ro quis aliquem in rei alicujus possess. turbaverit, inquietaverit, vel  
molestaverit, quia turbatus, inquietatus, vel molestatus dicto tem-  
pore continuato pacifice possideret, vel ultra, tunc si talis res pos-  
sessa esset valoris xl. solid. vel infra talis turbator, inquietator, &  
molestator condemnetur in C. solid. denar. & si majoris valoris res  
fuerit in libr. xxv. denar. condemnetur. Et semper ab omni jure, &  
commodo talis rei, & possess. ipso facto, & jure cadat, & intelli-  
gatur privatus, nec super ea audeatur aliquatenus in aliquo casuum  
prædictorum. De quibus omnibus, & singulis, tam in principali-  
bus, quam in pœnarum causis volumus, quod de plano, & sine  
omni strepitu, & figura judicij procedatur, & processus inde factus,  
valeat, & teneat pleno jure, non obstante juris, vel judicij substanc-  
tia, vel solemnitate omessa. Et in quolibet prædictorum casuum,  
tam occupationis, quam invasionis, quam turbationis, & mole-  
stationis, si talis invadens, seu occupans, aut etiam inquietator,  
& molestator aliquod jus in re, vel possessione tempore occupatio-  
nis, vel turbationis non haberet, condemnetur parti contra quam ta-  
lis occupatio, seu invasio, aut turbatio facta fuerit pro suo interef-  
fe in libr. xxv. denar. summarie, & de facto, ac juris etiam, & ju-  
dicij solemnitate omessa, dum tamen de veritate prædictorum le-  
gitime constet, & regimen hæc omnia observare teneatur vinculo  
juramenti, & pœna L. libr. denar. de suo salario.

R

D

*De termino moto, & quæstione confinii.*

C A P. LIII.

**T**erminum in aliquo confinio inter convicinos appositum, vel affixum quæcumque persona malitiose, & fraudulenter amoverit, aut extraxerit, vel ubi affixus, vel positus esset non observaverit malitiose, & fraudulenter apposuerit, vel infixerit in L. libr. denar. vice qualibet puniatur. Et intelligatur malitiose, & fraudulenter extractus, etiam infixus quando sine requisitione, & voluntate alicujus de convicinis, cujus interest, sine Judicis licentia, auctoritate, & decreto assessoris contentis talis extractio, infixio, seu appositiō facta fuerit. Et in quolibet dictorum casuum terminus ad debitum confinem, & debitam formam reducatur, nec talis amatio, seu infixio alicui partium præjudicare possit in aliquo. Et quæries alicujus termini, vel confinii quæstio, seu contentio inter aliquos convicinos verteretur, vel esset, tunc Judex, vel assessor ad petitionem cuiuscumque partis quamprimum noverit, cogat utramque partem ad eligendum unum vicinum dictæ rei, vel plures pro quolibet de legalionibus, & antiquioribus ad videndum, declarandum, & faciendum in talem ad terminationem. Et tales vicinos electos compellat ad videndum, & diffiniendum, & terminandum predictam, & quicquid per tales sic electos vicinos factum, & dictum fuerit in predictis, & etiam per Judicem, vel assessorem dicto modo valeat, & teneat pleno jure solemnitate, & forma omnis non obstante. Dum tales electi semper juraverint eorum corporali juramento talia facere, & expedire bona fide, & sine fraude.

*De falsis, & eorum pena.*

C A P. LIV.

**C**ommittens falsum est tribus obnoxius Deo, Judici, & parti: Ideo statuimus, & ordinamus, quod testis falsum testimoniūm perhibens probatione, vel violentia præsumptione convictus, vel indicium ad tormenta sufficiens, tormentis, vel sponte fuerit confessus legitima. Item qui de falso instrumento aliquo dictorum

dorum convictus, vel confessus apparuerit, tam faciens, & perhibens, quam fieri, & perhiberi faciens, quam etiam producens, vel utens, vel aliqua hujusmodi falsitate in judicio, vel extra scienter in quolibet prædictorum casuum condemnetur in C. libr. den. pro quolibet, & qualibet vice: quam condemnationem si talis delinquens non solverit infra x. dies à die condemnationis, vel postquam pervenerit in fortiam comunis, tunc mitrigetur de carta in capite, & mitriatus publice ligatur per guttur ad catenam Comunis in Platea, ibidem permanurus, quamdiu Potestati, vel Vicario videbitur, & demum reductus in palatum, in carcere ponatur permanens ibidem continue per sex menses, postquam tempus repellatur de Terra Montis Sancti, & ejus districtu per x. annos continuos, tunc proxime sequuturos. Obiiciens autem, seu quomodo cumque obiiciens contra aliquem agendo, vel excipiendo aliquam falsitatem, sive criminaliter, sive civiliter, siquidem interrogatus per Judicem tribus diversis vicibus, an velit insistere in tali objectione, seu oppositione falsitatis velle insistere, & fuerit sane mentis, & major xiv. annis detineatur personaliter, & cogatur ad dandum idoneam, & cautam fidejussionem de præsistendo, & talem falsitatem probando, quo facto si probaverit ipsam falsitatem, condemnetur talis falsarius ad poenam prædictam, & talis obiiciens absolvatur. Si vero falsitatem hujusmodi non probaverit, vel destiterit, condemnetur dictus talis in libr. L. denar. quam condemnationem si non solverit infra x. dies à die latæ sententiæ, debeat de carta in capite mitriari, & sic mitriatus ligetur per gulam publice ad catenam Comunis in Platea ibidem permanens per unam horam, & demum in carceribus remittatur, in quibus stare debeat per duos menses continuos, & postea relassetur. Si quis vero falsaverit zafferanum, vel aliam mercantiam ad nostram Terram zafferanum, vel aliam mercantiam falsam dolose, & scienter asportaverit causa vendendi, condemnetur in libr. C. denar. quas si non solverit infra x. dies à die latæ sententiæ, tunc talis falsarius mitrietur cum carta in capite, & sic mitriatus fustigetur, & postea ligetur ad catenam per guttur, & tale zafferanum præsente tali falsario, & mercantia falsificata publice in platea comburatur, & talis falsarius relassetur, & si forensis est à nostra Terra pœnitus expellatur. Si quis vero aliquam falsitatem in præsenti Statuto, & capitulo non comprehensum fecerit, vel non fecerit in præjudicium Comunis, vel alicujus specialis personæ,

tunc condemnetur secundum similitudinem casus in hoc Statuto comprehensi, cui magis adaptari, vel assimilari possit per Potestatem, vel Vicarium. Sed si assimilari, vel adaptari non possit, tunc condemnetur arbitrio Potestatis, & Vicarii, & Priorum usque in C. libr. denar. eum adjectione poenæ corporalis sic infra x. dies à die latæ sententiæ non solverit, quæ Potestati, vel Vicario, & Prioribus pro tali maleficio, & falsitate magis videbitur conveniri.

*De mutatione nominis.*

## C A P. LV.

**S**TATUIMUS, quod si quis cum fuerit interrogatus per Potestatem, vel Vicarium, vel Notarium Potestatis, vel Cancellarium, vel alium Officiale Comunis forensem eorum officio exercendo, quo nomine vocatur de die, vel de nocte in Palatio, vel extra ubicumque, & talis interrogatus scienter, & dolose mutaverit sibi nomen, condemnetur in libr. xxv. denar. quas si non solverit infra x. dies à die latæ sententiæ ligetur ad catenam per guttur ubi stet per unam horam, & postea relasletur.

*De pœna mutantis ambasciatam Comunis.*

## C A P. LVI.

**A**Mbasciatam faciens pro parte Comunis Montis Sancti dolose, & scienter in plus, vel minus, vel aliter quam in commissione habuerit à mandante, siquidem talis excessus, sive transgressus fuerit, vel esset nostro Comuni damnosus, vel suspectus, talis delinquens condemnetur in libr. C. denar. & inde ad tres annos non possit, neo debeat ire ad aliquam ambasciatam Comunis, nec esse de consilio dicto tempore, & de tali suspitione, vel damno Comunis in quolibet dictorum casuum stetur arbitrio, & declarationi nostri Potestatis, vel Judicis una cum Dominis Prioribus dictæ Terræ. Et semper quando mittitur ambasciator, Potestas, & Priors dare debeant punctos ambasciatæ in scriptis, in litteris interclusis dicto ambasciatori mittendo, & ultra dictos punctos non exeat aliquo modo de ambasciata sibi imposta sub jam dicta pœna.

De

*De pœna petentis debitum jam solutum, vel ultra id quod sibi debetur.*

## C A P. LVII.

**S**I quis scienter, & apensate in Judicio coram Domino Potestate, vel Vicario in nostra Terra petierit alicui aliquod factum, vel debitum, quod satisfactum erat solutio dicto petenti, vel alicui Procuratori ejus, vel aliæ personæ suo nomine ipso sciente, tunc talis sic petens, nisi prætenderit justam causam ignorantiae de satisfactione facti, vel de solutione jam facta, si debitum, vel factum, quod petierit, fuerit in C. solid. denar. inclusive, vel ab inde infra condemnetur talis sic petens in libr. decem denar. Si vero tale debitum sic petitum jam solutum, vel tale factum, quod petebat sibi fieri debere jam satisfactum fuerit valoris C. solid. condemnetur talis sic petens in libr. xxv. denar. Sed si aliqua persona scienter, & apensate aliquam personam in judicio coram nostro Potestate, vel Vicario petierit aliquod factum sibi fieri, vel aliquam rem, sive pecuniæ quantitatem, ultra quam ille à quo petierit teneatur sibi dare, vel facere, & evidenter Judici appareat, quod talis petens ultra id quod sibi debetur petat calumniose, vel malo modo talis petens, si res, vel factum, vel pecuniam, quam, & quod peteret, vel id quod sibi debetur esset valoris C. solid. vel ab inde infra condemnetur in libr. x. denar. Si vero ascenderet ultra valorem C. solid. denar. talis sic petens plus in libr. xxv. denar. Et in quolibet casuum hujus capituli possit Potestas, vel Vicarius una cum Prioribus utramque pœnam eorum arbitrio minuere, prout ejus videbitur rei, vel pecuniæ, vel facti, vel debiti petiti, & personarum qualitate penitata.

*De pœna tenentis aliquem in privato carcere.*

## C A P. LVIII.

**T**ENENS aliquam personam in privato carcere in Terra Montis Sancti, vel ejus territorio contra ejus voluntatem dolose, & scienter per tres dies continuos pœna capitis puniatur. Si vero aliquis

R 3

quis aliquam personam tenuerit in privato carcere ; in aliquo dictorum locorum per duos dies naturaliter continuos dolose , & contra ejus voluntatem condemnetur in libr. quingentis denar. , quam condemnationem si non solverit in x. diebus à die latæ sententiæ computandos in eo , quod est in fortia Comunis , vel infra x. dies in contumace à die qua pervenerit in fortiam dicti Comunis amputetur eidem caput à spatulis , itaquod pœnitus moriatur . Si autem per unum diem naturalem conrinuum , quo aliquam personam in carcere privato dolose , & contra ejus voluntatem tenuerit in aliquo dictorum locorum , condemnetur in libr. CC. denar. , quam condemnationem si non solverit infra x. dies à die latæ sententiæ , vel à die qua venerit in fortiam Comunis nostri ut supra , quod taliter delinquenti una manus amputetur , itaquod à brachio separetur . Si vero aliquis supradictorum sic delinquentium , qui erant pœna capitis puniendi in defectu solutionis non esset in fortia Potestatis , vel Comunis tempore sententiæ ferendæ de eis , qui tunc in supradicta sententia inferatur , & exprimatur , quod omnia bona mobilia , & immobilia talium sic delinquentium Comuni Montis Sancti confi-  
centur , & publicentur , de quibus talibus bonis sic confiscatis , & publicatis talis in dicto carcere detentus privato , vel hæfedes ejus habeant tertiam partem in recompensatione in jure sibi illate , reli-  
quæ vero due partes sint nostri Comunis vigore præsentis Statuti , vi-  
delicet si postea talis condemnatus in capite pervenerit in fortiam nostri Comunis vigore præsentis Statuti ejus persona , tunc bona perventa ad comune rationæ supradictæ confiscationis , & publi-  
cationis restituere filiis , sive hæredum dicti talis in cuius exequu-  
tio facta est . Et si perpetuum carceris talis tenens aliquam per-  
sonam in dicto privato carcere aliquod ab ipso detento exigerit ,  
vel extorserit eidem , vel hæredibus , cuius restituere cum duplo  
quantitatis valoris rei extortæ , vel exactæ ad restitutionem cuius  
Potestas , vel Vicarius de facto compellat . Si vero talis sic tenens  
cogerit talem detentum ad aliquam obligationem , quietationem ,  
vel remissionem alicujus debitæ quantitatis cujuscumque , vel ali-  
cujus cujuscumque rei , vel obligationis , tunc talis obligatio , quieta-  
tio , vel remissio , & instrumentum inde confectum non valeat ,  
& nullum fortiorum effectum . Eo ipso quod instrumentum , sive  
quietatio , seu remissio , seu obligatio facta est per aliquem sic de-  
tentum , præsumatur omni præsumptione , quod fuerit factum , exa-  
ctum ,

etum , & extortum per vim , & violentiam . Si vero talis tenens injuriam corporalem aliquam præter detentionem cum armis , vel sine armis fecerit dicto detento , talis sic delinquens ultra pœnam privati carceris supradicti condemnetur de dicta injuria in duplo pœnæ pro dicto maleficio alias imponendæ . Si vero cogerit dictum detentum ad aliquod testimonium falsum prohibendum per eum , vel qui talis detentus faciat aliquod instrumentum falsum in præjudicium alicujus , tunc talis testificatio , & tale instrumentum non valeat ipso jure , immo talis sic detinens , & cogens debeat condemnari ultra dictas pœnas in libr. C. denar. pro tali te-  
stificatione sic fieri facta , & pro tali instrumento fieri facta . Et ille talis testimonium sic faciens , vel falsum instrumentum in ni-  
hilo debeat condemnari , itaquod per vim , & violentiam in præ-  
dictis coætus . & fieri faciens , vel mandans supradicta , vel ali-  
quod supradictorum fieri , & sequuta sint , seu facta condemne-  
tur in omnibus , & per omnia eadem pœna , qua principaliter  
persona , quæ aliquod prædictorum fecerit in quolibet prædicto-  
rum casum punienda veniret . Exceptuamus à prædictis , quod si pater , vel mater , dominus , vel domina tenuerit aliquem , vel  
filiam , famulum , vel famulam , vel maritus uxorem in aliquo  
loco privato clauso causa correptionis per unam diem , vel per  
duos ad plus ad aliquam pœnam nullatenus teneatur .

*De pœna frangentis carcerem.*

### C A P. LIX.

**R**umpens , seu frangens cum securi , vel cum aliquo alio ferramento , vel alia re carcerem Comunis Montis Sancti , vel ostium dicti carceris , vel cum igne ardens dictum carcerem , vel ostium dicti carceris , vel aliquam partem dicti carceris , in quo carcere , seu carceribus esset aliquis exbanditus Cam. Rom. Eccl. vel Comunis Monti Sancti in persona , vel membro , vel in pe-  
cunia , vel esset etiam ibi aliquis carceratus pro aliquo maleficio per eum commisso , licet nondum fuerit condemnatus , vel es-  
set in dictis carceribus detentus aliquis pro aliquo debito Cam. Rom. Eccl. vel Comunis Montis Sancti , vel alicujus specialis per-  
sona , vel quacumque de causa fuerit in dictis carceribus deten-  
tus .

tus, & dictus talis unus captivus, vel plures ex dicta ruptura; seu fractura, & propter dictam rupturam, seu fracturam exivit, & aufugerit de dictis carceribus, & de fortia Comunis Montis Santi, quod dictus talis rumpens, seu frangens carcerem predictum unus, vel plures, & eidem, vel eisdem dantes, & praestantes auxilium, consilium, & favorem cooperantium ad frangendum, & rumpendum dictum carcerem modo supradicto, vel etiam mandans rumpere dictum carcerem, seu frangi dictus carcer ruptus, seu fractus fuerit condemnetur pro quolibet eorum in amputatione capitis. Si vero dicti tales delinquentes, vel aliquis eorum haberi non posset in fortia Comunis, tunc bona omnia mobilia, & immobilia dicti delinquentis, quod haberi non posset confischentur, & publicentur nostro Comuni, de quibus bonis satisfiat talibus debitoribus, creditoribus detentis recipere a captivis, qui de carceribus aufugerint ad quorum petitionem in carceribus detinebantur, ubi non satisfacerent bona captivorum, quod aufugerunt, ut inferius dicetur. Et nihilominus etiam bona mobilia, & immobilia dictorum captivorum, qui de carceribus aufugerunt nostro Comuni pœnitus publicentur, & confischentur, de quibus satisfiat integraliter creditoribus suis usque ad integrum satisfactionem si erunt sufficientia, & residuum remaneat in Comuni, & aufugentes de dictis carceribus habeantur pro confessis, & convictis de delictis, & maleficiis propter quem erant detenti in dictis carceribus. Si vero aliquis fuerit detentus in Palatio Domini Potestatis in aliqua camera clausa, vel in aliquo loco clauso in dicto Palatio occasione alicujus maleficii per eum commissi, vel de quo fuerit inculpatus, & dictus talis aufugerit de dicto loco extra dictum Palatium, tunc talis sic aufugens habetur pro confesso, & convicto de maleficio, de quo detinebatur, licet idem non commiserit, & nihilominus pro fuga condemnetur in tanta quantitate, in quanta condemnari debet pro maleficio, pro quo detinebatur. Sed si aliquis etiam detentus in Palatio, videlicet in logia Palatii, vel in sala magna Palatii, vel in alia parte Palatii non clausa, vel cum esset ductus in Palatium per aliquem officialem Comunis, vel famulum alicujus officialis Comunis, & aufugerit de dicto Palatio condemnetur, sive puniatur de facto usque in x. libr. denar. ad arbitrium Dominorum Potestatis, Vicarii, & Dominorum Priorum considerata qualitate excessus pro quo detineri debeat, & conditio personæ.

De

*Ex acto leg. oportet postea in vicinius officiis de libris quod non inservit. De pena alienationis aliquam rem immobilem alicui forensi nobili.*

C A P U L T X.

**A**d tollendum materiam, ne aliquod scandulum possit in nostra Terra aliqualiter generari hoc salubri, & in perpetuum validuro Statuto, statuimus, firmamus, & nullus de Terra Montis Sancti, vel habitor ejusdem, vel forensis, vel quemvis aliis habens domos, vel ponens in Terra prædicta, vel territorio, vel districtu cuiuscumque status, vel conditionis existat, audeat, vel quoquo modo præsumat per se, vel per Procuratorem, vel per aliam interpositam personam vendere, donare, vel aliquo modo, vel titulo alienare aliquam domum, vel hortum, vel splacium, seu aliquam, seu alias possessionem, vel possessiones, vel aliquam rem immobilem sitam, vel sitas in dicta Terra Montis Sancti, vel ejus territorio, & districtu alicui forensi nobili, vel magnati, vel domino alicujus Terræ, vel alicui aliquam præminentiam habenti, Et quod nullus forensis nobilis, vel aliquis ex supradictis debeat, audeat, vel præsumat emere aliquo modo jure, vel titulo, vel etiam recipere aliquam domum, splacium, possessionem, vel aliam rem immobilem sitam in dicta Terra, vel ejus territorio, ut supra dictum est per se, vel Procuratorem, vel aliam interpositam personam. Qui vero contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, vel ausu temerario attentaverit, præsumplerit; tam vendens, quam Procurator vendentis, quam etiam alia interposita persona vendens, & tam emens, quam ejus Procurator, quam etiam ejus interposita persona emens capite puniatur. Et dicta sic vendita possessio, vel aliter alienata contra dictam prohibitionem ipso jure, & facto devenerit in Comune, & nostro Comuni pœnitus applicetur, & absque sententia, vel processu applicata esse intelligatur. Eamdem pœnam incurvant tractantes, & ordinantes per prædicta, vel aliquod prædictorum fiat. Notarius vero unus, vel plures, qui de prædictis, vel aliquo prædictorum rogatus, vel de prædictis conficeret publicum instrumentum. condemnetur in libris quingentis denariorum pro quolibet contrafaciente. Testes vero, qui præfato contractui intervenerint, & rogati fuerint de prædictis, condemnetur in libr. CC. denar.

denar. pro quolibet teste interveniente. Potestas vero, vel ejus Vicarius, qui auctoritate interposuit huic contractui, vel licentiam dederit talibus contrahentibus, vel alicui eorum intrandi in possessionem pro quolibet, & qualibet vice condemnetur in libr. C. denar. & nihilominus talis contractus, & omne quod sequitur ex eo, vel ob id omnino sit irritum, & inane, & nullius sit efficacie, & valoris, & super tali contractu fienda nulla debeat, vel possit cernita fieri, vel aliquod concilium generale, vel speciale, & nulla proposita super predictis fieri valeat. Et si Potestas, Vicarius, & Piores talem petitionem admiserit, & proposita in aliqua cernita, vel concilio speciali, vel generali fecerint, nullus ex conciliariis audeat, vel presumat super dicta proposita dicere, vel arrengare in ejus favorem pœna tali arrengatori mille libr. denar. & cuilibet conciliario, qui poneret ejus palloctam in favorem dictæ petitionis imponatur pœna quingentarum libr. Potestas vero, & Vicarius, qui dictam petitionem admiserit, ac etiam Piores, qui propositam in dictis conciliis, vel aliquo ipsorum proposuerint, & fecerint pro quolibet ipsorum, ipso facto incurvant pœna mille libr. denar. & sint ab eorum officiis ipso jure privati. Et Cancellarius, qui predicta scripsierit similem pœnam patiatur. Et nihilominus quicquid factum, & obtentum esset in aliquo dictorum conciliariorum contra supradictum ordinamentum nullo modo valeat, nec teneat, sed potius sit cassum, & irritum, & inane, nulliusque momenti, efficacie, & valoris.

*De pœna revelantis aliquod secretum Comunis.*

### C A P. LXI.

**Q**uoniam propter secretorum Comunis revelationem multo tempore in Civitatibus, & Terris maxima scandala generantur. Iccirco ad tollendum materiam, ne ob dictam causam in nostro Communi aliqua scandala oriuantur, praesenti lege duximus statuendum quod si per aliquod tempus Terra nostra, quod in aliqua cernita, concilio generali, vel speciale, vel gentium congregatione facta mandato Domini Potestatis, vel Vicarii, vel dictorum Priorum aliquod diceretur, vel praeponenteretur, vel tractaretur, quod esset de factis nostri Comunis, & pro statu ejusdem, & quod talis

talis res, quæ diceretur, proponeretur, vel tractaretur deberet esse secreta, & in secretum teneri, & taliter quod dictæ cernitæ, conciliis, vel congregationi adesset, mandatū fuisset per Dominum Potestatem, vel per Vicarium, vel per Dominos Piores, quod predicta teneret secreta, vel juraverint in secreta teneri, nec alicui modo aliquo revelare, dicere, vel pandere. Mandamus, quod nullus de Terra nostra, vel undecumque sit, qui dictis cernitæ, conciliis, & congregationi fuerint, cui secretum impositum fuerit, vel juraverit, cujuscumque status, vel conditionis existat, audeat, vel presumat, publice, vel occulte, vel quovis modo dictum secretum alicui, vel aliquibus dicere, revelare, vel pandere, sive decretem sit, quod debeat ad tempus teneri, sive in perpetuum, quotiescumque vero hujusmodi secretum sic juratum, vel mandatū in secretum teneri, contra formam praesentis Statuti alicui, vel aliquibus dicterit, vel revelaverit publice, vel occulte, condemnetur per Potestatem nostri Comunis, vel Vicarium pro quolibet, & qualibet vice in libr. L. denar. & privetur omni beneficio nostri Comunis per tres annos, quas libr. sine aliqua diminutione si non solverit infra x. dies à die latæ sententia in comparente, vel infra x. dies in contumace postquam venerit in fortiam Comunis nostri eidem lingua debeat amputari, ita quod de cetero loqui non possit. Et nihilominus in casu quo dictus delinquens haberi non possit in fortiam Comunis, quod rata semper manente sententia contra eum lata cum mitra in capite in sala magna nostri Palatii Comunis residentiae Domini Potestatis ad eternam rei memoriam publice depingetur cum literis scriptis sub pedibus ejus dicente qualiter talis pictus est, quod revelavit tale secretum Comunis ita, & taliter, quod dictus pictus evidenter appareat, & dictæ literæ legi valeant competenter, ut conciliariis omnibus transeat in exemplum. Et nihilominus non obstante tali pictura fiat exequitio sententia, & condemnationis in bonis hujusmodi delinquentis per Potestatem, qui pro tempore fuerit sub pœna tali Potestati in predictis negligenti C. libr. denar.. Et successor dicti Potestatis sic negligentis ad requisitionem Dominorum priorum, qui pro tempore erunt dictam exequitionem faciat cum effectu sub jam dicta pœna, ne tale maleficium remaneat impunitum.

De proditoribus Terra Montis Sancti, &  
conventicula, & eorum pœna.

**A**D conservandum, & mantenendum bonum, & pacificum statum *Sanctæ Romanae Ecclesie*, & Comunis Monti Sancti, & ad reprimendum pessimorum audaciam hac salubri, & in perpetuum valitura lege sancimus, quod nullus de Terra Montis Sancti, vel aliunde cujuscumque præminentia, status, & conditionis existat, audeat, vel præsumat de cœtero attentare, facere, vel ordinare aliquam confederationem, vel conventiculam, conspiracyem, seditionem, seu conjurationem, vel faciendo tractare, seu tractatum facere contra statum *Rom. Eccles.* & contra præsentem statum populi Montis Sancti, nec prædicta, vel aliquod prædictorum fieri facere, vel mandare, nec ad ipsa facienda, vel ordinanda præstare consilium, auxilium, & favorem. Qui vero contra prædictam, vel aliquod prædictorum fecerit, vel facere attentaverit, eidem, vel eidem caput à spatulis amputetur, ita quod moriatur, & omnia ejus bona mobilia, & immobilia publicentur, & nostro Comuni pœnitus confischentur, & applicentur, & conventicula sic facta sit nullius momenti, efficacia, vel valoris, & omnes stipulationes, obligationes, & promissiones facta pro dictis non valeant, nec teneant ullo modo, sed potius cassa, & vana sint, & pro cassis, & vanis pœnitus habeantur, tamquam si nunquam facta fuissent. Et qui vigore dictæ considerationis, seu convariationis tractaret, vel ordinaret, vel aliquod committeret contra bonum, & pacificum statum populi, & Comunis Montis Sancti eadem pœna veniet puniendus. Item dicimus, & firmamus, quod nullus tantæ audacia, & temeritatis existat quodmodo aliquo, vel ingenio directe, vel indirecte, vel aliquo colore quæsito, Clericus, vel Sæcularis attentet, audeat, vel præsumat tractare, vel ordinare per nuncium, vel epistolam, vel alio quovis modo cum nobili, vel magnatæ, vel domino, vel cum aliquo clero, vel aliqua alia persona de Monte Sancto, vel unumquemque, vel undecumque sit cujuscumque status, præminentia, honoris, dignitatis, vel conditionis existat, vel cum aliqua Comunitate, Civitate, vel Officialibus earumdem de subvertendo

tendo statum *Sanctæ Romanae Ecclesie* in nostra Terra Montis Sancti, vel de dando, vel tradendo eisdem, vel alicui corum Terram Montis Sancti in præjudicium *Sanctæ Romanae Ecclesie*, & popularis status, vel etiam aliquo quovis modo turbare bonum, & pacificum statum *Sanctæ Romanae Ecclesie* in nostra Terra, & nostri status, & Comunis, qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, ordinaverit, vel tractaverit, seu etiam facere, ordinare, vel tractare præsumperit, vel ordinaverit, licet ad effectum non perduxerit, si Clericus, vel Ecclesiastica persona, illico capiatur, & in fortiam Domini Rectoris Marchiæ Anconitanæ sub fida custodia transmittatur. Si vero Sæcularis fuerit ultimo suppicio puniatur ad arbitrium Domini Potestatis, & Vicarii, & Priorum, & ejus bona mobilia, & immobilia ipso facto deveniant in Comune, & publicentur, & nostro Comuni applicentur, & confiscantur, & in futurum omnibus innotescat, & ut similia facientes alii terreantur, dicti tales proditores in Palatio nostri Comunis, & in Portis Tetræ, & aliis locis publicis, ubicumque regiminibus videbitur, cum mitriis in capite depingantur ita patenter, evidenter, quod omnibus transeat in exemplum. Authores, fautores, & omnes hujusmodi tractatus sequaces præstantes etiam ad prædicta, vel aliquod prædictorum auxilium, consilium, vel favorem, item prædicta, vel aliquod prædictorum scientes, & non revelantes statim cum sciverint, & potuerint, à Potestate, Vicario, & Prioribus Montis Sancti eadem pœna similiter puniantur. Et omnium supradictorum filii, & hæredes de Terra nostra pœnitus expellantur. Quicumque vero dolose, & proditorie alta voce cridaverit *mora la Chiesa* eadem pœna puniatur. Et si quis alta voce, & proditorie, & malo modo cridaverit vivat, vel moriatur aliqua pars Ghelfa, vel Gibellina, vel aliquis aliis de nostra Terra, vel aliunde, propter quod rumor, & tumultus fuerit in Terra, & in populo, eadem pœna inremissibiliter puniatur. Si vero rumor, & tumultus propter dictam exclamationem non fuerit sequutus in populo, & in nostra Terra, tunc talis sic vociferans, & dicens condemnetur per nostrum Potestatem, & Vicarium in mille libr. denar. quos si non solverit infra x. dies à die sententiæ computandos, eidem caput à spatulis amputetur ita quod moriatur, & si haberi non poterit, ejus bona omnia mobilia, & immobilia nostro Comuni pœnitus publicentur. Et quicumque tempore alicujus suspicionis, vel alio tempore fecerit ali-

aliquam collectam hominum armatorum, & à decem hominibus supra in Terra Montis Sancti sine licentia Potestatis, vel Vicarii, & Dominorum Priorum, vel alicujus Officialis Romanæ Ecclesiæ Potestatem habentis prædicta fieri, & licentiam concedere, & cum dicta gente venerit in plateam Comunis, vel non venerit, sed tamen hanc collectam fecerit causa turbardi bonum statum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præsentem statum popularem pacificum, tam faciens dictam collectam gentium, quam etiam quod de dicta collecta gentium fuerit caput, capite puniatur, & ejus bona mobilia, & immobilia publicentur, & veniant in Comuni. Quicumque vero præsumpsit tractare, vel ordinare, quod Terra Montis Sancti regatur alio modo, quam præsentialiter regitur, capite puniatur, & si haberet non possit in fortiam Comunis, omnia ejus bona mobilia, & immobilia nostro Comuni pœnitius applicentur, & publicentur. Quod Statutum volumus, & mandamus in nostra Terra inviolabiliter observari, aliqua lege, vel Statuto loquente in contrarium non obstante.

*De pœna innovantium aliquod contra præsens regimen,  
vel modum, & ordinem Regiminis.*

## C A P. LXIII.

**C**onfessimus pro bono pacis, & unionis populi, status, & hominem Terræ Montis Sancti, & ut eorum status conservetur tranquillus, & inlæsus, ut antiquitus extitisse constar, quandam reformationem fuisse aditam per probos viros dictæ Terræ, & per Retentendum in Christo Patrem Dominum Astorgium Episcopum Antonianum, tunc temporis Locumtenentem Marchiæ &c. fuisse confirmatum. Cuius testi ad præsens adherentes, & ipsam latius, & clarius extenderentes, statutissim, & præsenti lege inviolabiliter observanda firmamus, quod si quæ persona terrigena, vel forensis, seu habitatrix dictæ Terræ cujuscumque fuerit status, dignitatis, conditionis, vitæ, & famæ, ausa fuerit, seu præsumpsit per se, vel per alium aliquo modo, sive aliquo quæsito colore tentare, facere, operare, vel ordinate aliquid dicto signo, vel facto, vel alio quovis modo, vel ordinanti, seu obtentanti, vel facienti consentire cum nobilit, vel dñe in magnate, vel cum aliquo clero, vel cum aliqua

qua alia persona de Monte Sancto, vel undecumque sit, & cuiuscumque conditionis sit contra statum popularem, & unitum dictæ Terræ, vel contra præsens regimen ipsius Terræ, aut Potestatem, regiminis ordinem, & modum, seu circa ipsius regiminis remotionem in totum, vel in partem, ipso facto in quolibet dictorum casuum puniatur, & condemnetur pœna capitum, ita, & taliter quod moriatur, & omnia ejus bona mobilia, & immobilia jura, & actiones publicentur, & applicentur Comuni dictæ Terræ. Et si dixerit, tentaverit, sive ordinem dederit, dictum regimen videlicet concilium generale octuaginta proborum virorum dictæ Terræ, Concilium cernitæ in numero xxiv., & officium Prioratus memoratæ Terræ, augere ultra numerum virorum, qui nunc est in dictis conciliis, & officio Prioratus, ipso facto incurrit pœnam quinquaginta floren. auri sine aliqua diminutione, & ultra dictas pœnas, ut supra sic delinquentes, in quolibet dictorum casuum, aut in altero, ipsi, & eorum descendentes usque in quartum gradum sint cassi, privati, & remoti, & esse intelligentur ipso jure perpetuo ab unoquoque officio, & beneficio dicti Comunis, & ipsis, vel aliquo ipsis nullo modo possint, nec valeant gaudere, aut frui. Liceat tamen, & licitum sit libere, & impune dicta concilia minuere, & ad minorem numerum reducere propter supra venientes pestes, seu mortalitates tantum pro voluntatis dictorum conciliariorum. Quod Statutum volumus, & mandamus in nostra Terra in quolibet suorum casuum firmiter observari, Statuto, seu Statutis, & aliis ordinamentis dictæ Terræ in contrarium premissorum omnium, vel alicujus disponentibus non obstantibus quibuscumque, quod, vel quæ, quo ad præmissa, vel aliquod præmissorum sint nulla, cassa, irrita, & juribus vacua, atque nullius valoris, authoritate præsentis ordinamenti.

*Quod Piores, & Conciliarii cernitæ non se intromittant de maleficiis, & de pœna secus agentium.*

## C A P. LXIV.

**S**tatuimus, & ordinamus, quod Domini Piores, & Conciliarii concilii cernitæ non possint aliquo modo se intromittere de maleficiis commissis, sive committendis in Terra Montis San-

cti , & ejus territorio , & si contrafecerint , omne id totum , & quicquid ordinayerint , volumus esse pro infecto , & esse nullius valoris , & efficaciæ . Et nihilominus quilibet ex dictis Prioribus , quorum tempore contrafactum erit , & quilibet arrengans , & concilium reddens verbo super prædictis , vel aliquo prædictorum puniatur pœna xxv. libr. denar. sine aliqua diminutione , & eadem pœna , & modo puniatur , si se intromiserint de pœnis impositis , & imponendis malefactorum pro eorum maleficiis .

*De non rebandiendo proditores Montis Sancti.*

C A P. LXV.

**A**D tollendam spem pravis hominibus , & proditoribus Terræ nostræ , & ne aliquod scandalum in nostra Terra possit aliqualiter generari , & in futurum oriri , hoc Statuto in perpetuum valituro , statuimus , & firmamus , quod nullus de Terra Montis Sancti , vel habitator ejusdem , sit cujuscumque status , præminentia , vel conditionis audeat , vel præsumat dicere , ordinare , vel aliquo modo tractare directe , vel indirecte , vel alio quovis modo in Terra nostra , vel ejus districtu , quod aliquis , qui sit , vel fuerit proditor Terræ Montis Sancti , vel fuerit de proditione dictæ Terræ condemnatus , vel contra eum processum fuerit in Terra Montis Sancti , vel in curia generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per officiales dictæ curiæ , & non fuerit condemnatus in aliqua dictarum curiarum , vel qui de proditione dictæ Terræ Montis Sancti fuerit directe , vel aliqualiter infamatus , propter quod ad præsens non moratur in dicta Terra Montis Sancti , rebandiatur , nec venire , & morari possit , vel stare debet , vel valeat in dicta Terra . Qui vero contra prædicta fecerit , vel aliquod prædictorum aliquod attentare præsumperit , condemnetur in pœna infra scripta , & ut omnibus prædicta quilibet cogitationibus tollatur , & hujusmodi talia enormia cogitandi , hoc præciso Statuto sancimus , quod nullus , qui imposterum fuerit , vel erit Potestas Terræ Montis Sancti , nec etiam Priors , audeant , vel aliquo modo præsumant , aliquam literam , supplicationem , petitionem dictorum ex banditorum recipere , nec proponere in aliqua cernita , vel concilio generali , vel speciali , vel

vel etiam in aliqua congregazione , sive adunatura gentium Comunis , qui pro tempore existent propositum scribere , vel recipere valeat , videlicet quod aliquis , qui fuerit proditor Sanctæ Romanæ Ecclesiæ , vel Terræ Montis Sancti , possit venire , stare , morari , vel habitare in Terra nostra , vel ad dictam aliquo ingenio , vel modo accedere , vel rebandiri . Vel etiam qui de proditione Terræ nostræ fuerit condemnatus , vel contra eum de proditione prædicta processum in curia nostri Communis , vel in curia generali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ , vel aliquo modo de nostra Terra expulsus modo aliquo , vel aliquo colore quæsito rebandiatur , vel cum eo aliqualiter componatur , seu aliqua compositio fiat . Quinimo volumus , quod pro tanto scelerre per eum commisso in perpetuum sit expulsus , & à nostra Terra remotus . Qui vero contra prædicta , vel aliquod prædictorum fecerit , vel fieri fecerit , vel fieri mandaverit , vel etiam facere attentaverit contra prædicta , vel aliquod prædictorum , vel petitionem de prædictis porrexerit , condemnetur in mille libr. denar . Potestas vero , qui proposita fecerit , condemnetur in libr. quingentis denar . & nunquam ad officium Potestariæ in Terra Montis Sancti esse possit ipse , nec aliquis de domo , & progenie sua . Priors in prædictis contra facientes condemnentur in libr. quingentis denar . pro quolibet , nec ad officium Prioratus , vel aliud officium in Terra nostra convocentur , nec esse possint . Cancellerius vero prædicta scribens statim privetur suo officio , nec unquam possit esse in aliquo officio in Terra Montis Sancti , & nihilominus condemnetur in CC. libr. denar . Conciliarii vero , qui prædicta arrengaverint , condemnentur in libr. CC. denar . Qui vero palloctam suam miserit in eorum favorem , condemnetur pro quolibet in C. libr. denar . & nihilominus quicquid factum , & reformatum fuerit , vel obtentum , non valeat ullo modo , nec aliquem sortiatur effectum , sed potius sit nullius momenti , efficaciæ , vel valoris . Et prædicta locum habeant in præteritis , & futuris . Quod Statutum in Terra nostra mandamus in perpetuum inviolabiliter observari , aliquo Statuto in contrarium non obstante .

*De pena destruentium Domos.*

## C A P. LXVI.

**D**orum destructio, loci, Castri, Terræ, necnon Civitatis defor-  
mationem inducit, qua propter ne Terra Montis Sancti ali-  
qualiter deformetur, statuimus, & ordinamus, quod nullus cuius-  
cumque condictionis existat, audeat, vel presumat destruere ali-  
quam domum in Terra Montis Sancti sitam, sive suam propriam,  
sive alienam, nisi forsitan causa reficiendi eam eodem loco proprio  
incontinenti saltim incipiendo eam reficere infra unum mensem à  
die, quæ delecta fuerit, & post mensem continuato tempore su-  
per dicta domo facere laborari, ita quod omnino reficiatur infra  
unum annum à die destructionis, & dicta delectio etiam animo  
reficiendi non possit fieri absque licentia Domini Potestatis, seu Vi-  
carii, & Dominorum Priorum, & concilii generalis, quæ licentia  
scribatur per Cancellarium nostri Comunis in actis Comunis. Qui  
vero contra prædictam formam aliquam domum destruxerit, con-  
demnetur in libr. C. denar. & perdat spatium dictæ domus, quod  
spatium ipso facto deveniat in comune, & sit nostri Comunis. Et  
si aliquis vellet super dicto spatio hædificare, tunc vendatur per  
Comune ad incantum, & plus offerenti detur, recepta primitus sa-  
tisfactione idonea, quæ infra annum à die qua emerit hædificabit  
super spatio antedicto sub pœna perditionis dicti spati per cum  
sic empti. Insuper inhibemus omnibus, & singulis magistris lapi-  
dum, lignaminum, & singulis manualibus, & omnibus aliis  
personis, qui tales volentes domum aliquam destruere contra su-  
pradicam formam, & sine supradicta licentia, nullo modo debeat  
juvare, nec aliquam operam præstare, vel dare eisdem talibus sic  
destruentibus auxilium, consilium, vel favorem, qui vero contra-  
ficerit quoquo modo, condemnetur in libr. xxv. denar. per nostrum  
Potestatem, vel Vicarium. Et Potesta, vel Vicarius; qui fuerit  
negligens in procedendo, vel condemnando tales delinquentes, per-  
dat de eorum salario xxv. libr. denar. quod Statutum in nostra Ter-  
ra inviolabiliter observetur.

De

*De filio familias minore puniendo.*

## C A P. LXVII.

**V**erum persona ætatis x. annorum, vel ultra etiam si filius fa-  
miliæ fuerit tempore condemnationis, sive pœnæ, vel etiam  
tempore commissi maleficii, vel delicti, vel tempore judicij, vel  
processus, possit, & debeat criminaliter puniri, vel condemnari, &  
contra eam procedi tamquam si fuisse, & esset utroque tempore  
majoris ætatis, & extra patriam potestate; & processus judicium  
condemnatione, & pœna impositio contra eam occasione maleficij,  
vel delicti valeat, & teneat pleno jure; authoritate præsentis Statu-  
ti, & patria potestate non obstante, quod patris authoritas, & con-  
sensus non intervenerit. Si aliqua rixa intervenerit inter aliquos mi-  
nores xiv. annorum, maiores tamen x. ad invicem, & aliquod malefi-  
cium inter eos commissum fuerit, vel minor xiv. annorum; major ta-  
men decem annorum contra majorem xiv. annorum aliquod maleficium  
commiserit cum sanguinis effusione, vel sine sanguine, cum armis,  
vel sine armis; præter mortem, tunc de tali maleficio sic inter eos  
commissio, vel per dictum minorem xiv. annorum, condemnetur quili-  
bet eorum delinquens in casibus prædictis in medietate pœnæ, quæ  
condemnaretur, si esset major. Minores vero x. annorum in persona cri-  
minaliter conveniri non possint, salva tamen causa damni dati secun-  
dum formam Statuti de hoc loquentis.

*De receptione exbanditorum condemnatorum, & de eorum pena.*

## C A P. LXVIII.

**E**xbanditum, vel condemnatum nostri Comunis, qui fidejus-  
tionem non præstiterit, si contumax fuerit, ex quacumque cau-  
sa criminali, vel quasi scienter, & malo modo receptans in domo  
propria, vel conducta, vel eidem præstans auxilium, consilium,  
& favorem, vel autem associans in Monte Sancto, vel in ejus di-  
strictu, vel armis, vittualia, vel rem aliam dans, vel porgens si-  
quidem exbanditus erat condemnatus pro delicto, vel quasi ejus pœ-  
na per formam aliquius nostri Statuti, vel ordinamenti esset C. lib.  
denar.

212

## LIBER

denar. vel ab inde supra puniatur, & condemnetur si intra Terram Montis Sancti praedicta commiserit in xxv. libr. denar. extra terram praedictam in nostro tamen territorio, vel districtu in x. libr. denar. condemnetur. Sed si condemnati exbanditi praedicti poena, vel condemnatio per praedictam formam esset minor C. lib. denar. tunc talem receptionem, vel aliud de praedictis committens, vel faciens intra Terram Montis Sancti in x. libr. denar. condemnetur; extra vero Terram, in territorio tamen nostro, condemnetur in solid. C. denar. Si talis vero exbanditus, & receptatus esset condemnatus in persona, vel membro homicidio, vel alio maleficio, quam infra scripto, tunc talis ut supra receptans, si infra Terram, condemnetur in libr. L. denar. si extra Terram, condemnetur in libr. xxv. denar. Si vero talis exbanditus, & receptatus esset exbanditus, & condemnatus de proditione Terræ Montis Sancti, & receptatus fuerit, ut supra, talis eum receptans in Terra Montis Sancti, si intra Terram eum receptaverit, & non consignaverit eum Potestati, condemnetur talis receptans in mille libr. denar. quas si non solverit infra x. dies à die latæ sententiæ in eo, qui captus est, vel contumace infra x. dies à die, qua pervenerit in fortiam Comunis Montis Sancti caput à spatulis eidem amputetur ita, & taliter, quod moriatur. Si vero talis exbanditus, & receptatus esset condemnatus de proditione Terræ Montis Sancti esset receptatus extra Terram Montis Sancti, & talis receptans non cepit aut inclamaverit contra eum, ut ceperetur condemnetur in libr. quingentis denariorum. Et hoc Statutum semper in Terra nostra debeat observari, & praedicta locum habere volumus etiam in hospitatoribus praedictos hospitantibus.

*De pœna hospitantis hominem male famæ.*

## C A P. LXIX.

*N*ullus hospitator in aliquo hospitio nostræ Terræ, vel alia aliqua persona ultra unam noctem hospitetur, teneat, vel receptat aliquem hominem forensem suspectum vitæ, seu malæ conditionis, & famæ; contrafaciens, si scienter in x. libr. denar. pro qualibet vice condemnetur, quam pœnam de facto Potestas, vel Vicarius de dicto hospitatore exigat, & venire faciat in Comune, & ad minus eorum arbitrio, persona qualitate pensata. Et intelligantur sci-

rc

## TERTIUS.

213

re, si contra talem receptatum de suspicione vitæ, & malæ conditionis fuerit publica vox, & fama, reservato, & excepto de praedictis, si talis hospes mox post adventum talis receptati notum fecerit Potestati, vel Judici, etiam Cancellario, vel alicui ex Confalonero, & Prioribus, qua casu non teneatur ad pœnam.

*De pœna præstantis alicui auxilium, consilium, vel favorem in maleficiis, vel mandatis.*

## C A P. LXX.

**P**ræstans alicui malefactori ad homicidium, vel aliud maleficium committendum consilium, auxilium, & favorem in associando, vel personaliter assistendo ad ipsum actum homicidii, vel maleficii videlicet in detinendo, vel feriendo, ut supra in Statuto de homicidio dicitur, vel aliquo modo præstiterit auxilium cohoperantium, tunc eadem pœna talis præstans debeat condemnari, qua homicida puniendus veniret ille, qui aliud maleficium commiserit, cui tale auxilium præstiterit, sive personaliter, sive pecuniialiter veniret puniendus ille, cui tale auxilium præstitum fuerit. Si vero aliter, quam supradicto modo præstiterit auxilium, consilium, vel favorem, puniatur in dimidia pœna, qua veniret condemnandus principalis maleficium committens, cui supradictum auxilium præstiterit. Sed tale auxilium, consilium, vel favorem non cohoperantium aliquis præstiterit alicui, qui homicidium commiserit, tunc condemnetur in quingentis libr. denar. Si vero aliquis deliberate, & à pensate, & ex proposito mandaverit alicui, qui faceret aliquod homicidium, vel aliud maleficium, & ille qui dictum mandatum suscepit, vel cui dictum mandatum factum fuerit prædictum homicidium, vel maleficium, quod sibi mandatum fuerit, fuerat, quod facere fecerit, tunc tale sic mandans puniatur, & condemnetur eadem pœna, qua veniret puniendus per formam nostrorum Statutorum, vel per formam Juris ille talis, qui dictum homicidium, vel maleficium commiserit, Statuto aliquo huic contrario non obstante.

D

*De pœna intrantis, vel exēuntis aliunde, quam per portas.*

## C A P. LXXI.

**A**Liunde, quam per portas introitus, vel exitus variis modis exceditur, nam rumpendo malitiose murum, vel clusimem aliquod quæcumque persona in Terra Montis Sancti intraverit, vel exiverit de ipsa per talem rupturam, condemnetur in libr. quingen-  
tis denar. quam pœnam si non solverit infra x. dies à die latæ len-  
tentia, vel postquam fuerit in fortiam Comunis Montis Sancti,  
únus pes eidem amputetur, itaquod à gamba pœnitus separetur. Et  
nihilominus omnia ejus bona mobilia, & immobilia videlicet eidem,  
qui non fuerit in fortia Comunis, Comuni nostro debeant applicari;  
& si casus acciderit, quod postea exequutio pedis fiat, talia bona Co-  
muni primitus applicata eidem, vel ejus hæredibus restitui debeant  
cum effectu. Qui vero non fuerit ad rumpendum dictum murum,  
sed corrupto per eum exiverit, vel intraverit, condemnetur in lib.  
tricentum denar. cum conditione supra proxime dicta. Ascendens,  
vel descendens per murum dictæ Terræ intrando, vel exeundo di-  
ctam Terram, in libr. CC. denar. pro quolibet, & qualibet vice. Su-  
ptus portam autem, vel per aliquam chiocam, sive cunichium  
nostræ Comunis intrans, vel exiens, in libr. C. denar. condemnetur,  
& minori pœna, arbitrio nostri regiminis, considerata qualitate perso-  
næ, & delicti. Si vero contigerit, murum nostræ Terræ in aliqua  
parte cadere, & fractum esse, & aliquis exiverit, vel intraverit per  
dictum murum sic ruptum de die, vel de nocte, condemnetur in  
libr. xxv. denar. & in minori quantitate arbitrio Domini Potestatis,  
vel Vicarii, considerata qualitate delicti, & personæ. Excipimus à  
prædicta pœna magistros, & manuales, & alias personas intrantes,  
& exeentes per talem rupturam, occasione tractandi dictum murum,  
qui ad aliam pœnam nullatenus teneatur.

*Quod*

*'Quod in casibus non determinatis per Statutum  
procedatur de similibus ad similia.*

## C A P. LXXII.

**H**oc Statuto decrevimus, quod de omnibus, & singulis casibus,  
& causis occurrentibus, & occurtere possint, in quibus certa  
specialis determinatio per aliquam formam nostrorum Statutorum,  
& ordinamentorum non haberetur, nec esset, ac etiam clara, &  
expressa diffinitio maxime in delictis, & causis criminalibus. Po-  
testas nostri Comunis, & Vicarius, & quilibet ipsorum possit, &  
debeat procedere, cognoscere, terminare, & diffinire per simili-  
tudinem alicujus causis Statuti, vel ordinamenti nostri Comunis, cùi  
magis assimilantur, & adaptentur, itaquod de similibus ad simi-  
lia procedere possit, reheatur, & debeat. Et ubi similitudo, & con-  
venientia ex nostro Statuto, & ordinamento non reperiatur, nec  
appareret, tunc procedere possit, & debeat ex una quaque, & lon-  
ga approbata consuetudine nostri Comunis in eodem casu, vel si-  
mili observata. Hac vero deficiente nunc secundum constitutum curie  
generalis, & eis deficientibus secundum Jura comunia procedatur,  
& processus taliter facti, confirmati valeant pleno jure. Ubi vero  
jus Comune non loqueretur, tunc Potestas, & Vicarius eorum ar-  
bitrio procedant, & pœnam condemnationis pro tali delicto impo-  
nant usque in libr. xxv. denar. Ubi vero non apparet aliqua assimila-  
tio, vel adaptio pœna maleficii commissi ad aliquam pœnam Sta-  
tuti, vel consuetudinis, vel constitutionis, vel juris Comunis, ut  
supra, & dictum maleficium esset nimis gravissimum, enorme, tunc  
delinquens puniatur ad arbitrium Potestatis, Vicarii, & Dominorum  
Priorum, qui pro tempore erunt cum deliberatione concilii ge-  
neralis dictæ Terræ, si eis expedire videtur in hæc, vel persona del-  
icti, vel maleficii, & personæ, & omnibus circumstantiis præ-  
fati maleficii penitatis, & recensitatis.

*De*

*De dupPLICATIONe pœnarum.*

C A P. LXXXIII.

**A**dgravantur maleficia, & excessus propter tempora, & loca, in quibus ipsa committuntur, ideo præsenti lege duximus statuendum, quod de omnibus, & singulis maleficiis, excessibus, & delictis, & de verbis injuriosis, & reimproperatoriis, & quibuscumque aliis injuriis adversus, & contra aliquam personam illatis, dictis, & factis verbo, vel facto, vel quomodocumque, & qualitercumque, de quibus poena determinata est per formam alicujus nostri Statuti, ubi poena prædicta Statuta dupPLICata, vel non sit pena qualibet in quolibet dictorum Statutorum ordinata, debeat dupPLICari, si aliquod supradictorum maleficiarum, vel excessuum supra specificatorum committentur, vel commissum esset, vel committi contigerit in aliquo infrascriptorum locorum, videlicet si commissum esset, vel committi contigerit in Platea Comunis Montis Sancti, & intelligatur Platea circum circa Ecclesia, Sancti Stephani infra omnes catenas existentes circum circa dictam plateam in capite cuiuscumlibet viæ, sive stradæ, quibus exitur de dicta platea ad alia loca, & etiam omnis locus, situs, sub aliquo porticu, sive trasanna alicujus specialis personæ infra dictas catenas, qui locus non sit clausus. Et in Ecclesia Sancti Stephani, & sub trasannis existentibus juxta dictam Ecclesiam, & in omnibus aliis Ecclesiis existentibus infra Terram Montis Sancti, & in Palatio magno nostri Comunis, Residentiæ Domini Potestatis, & in omnibus locis, & partibus dicti Palatii, & sub trasannis ejusdem. Et in domibus Residentiæ Dominorum Priorum, & sub earum trasannis versus plateam. Item dupPLICENTUR poenes si quis commiserit aliquod maleficiū dicto, vel facto contra aliquam personam in domo propria, vel conducta, & in trasannis ejusdem. Item in strata Portus per itur ad Portum cum mercantis, & in ipso Portu, & in litore Maris in territorio Montis Sancti. Item dupPLICENTUR poenæ in die Veneris Sancti, & in Festivitatibus omnium Sanctorum videlicet in die Sancti Angeli de mense Maii, & in die Sancti Girii, & in quolibet dictorum dierum, tam in dicta Terra, quam etiam extra Terram. DupPLICENTUR etiam poenes si aliquod ex dictis maleficiis committeretur

tur tempore noctis, vel de nocte, & nox intelligatur à primo sono campanæ Comunis, quæ pulsatur de sero in Palatio residentiæ Domini Potestatis ante secundum, & tertium sonum dictæ campanæ, usque ad sonum campanæ, quæ est in turri S. Stephani, quæ communiter pulsetur de mane ad *Ave Maria*, in quibus locis, & temporibus omnes pœna dupPLICANTUR, & debeant dupPLICARI. Si militer quotiescumque contigerit fieri aliquam congregationem gentium in Terra prædicta occasione alicujus defuncti, vel occasione nuptiarum, vel pro aliqua parentela, & aliquod maleficium committeretur per aliquam personam in dicta congregazione, poena etiam in tali maleficio dupPLICETUR. Et poena semel dupPLICATA ratione temporis, vel ratione loci, vel ratione alterius qualitatis non debeat amplius dupPLICARI, nec etiam dupPLICETUR, ubi in aliquo capitulo Statutorum fit mentio de maleficio commisso noctis tempore, vel ratione loci, in quibus sufficiet dicta poena in dictis maleficiis ordinata.

*De impunitate offensionis inter conjunctos, &c.  
cohabitantes.*

C A P. LXXXIV.

**P**ater, mater, filia, filius, frater, soror, socrus, gener, nucus, cognatus, cognata, vir, uxor, & similes actiones, & quocumque gradu consanguinitatis, vel affinitatis conjuncti, usque in tertium gradum inclusive. Necnon cœteri omnes, & singuli, & in eadem domo, vel habitatione habitantes, tam domini, sive patroni, quam familiares, sive famuli cujuscumque sexus de aliqua contumelia, vel offensura, vel injuria per eos, inter eos, vel alteros ipsarum prædicta commissa, vel facta verbo, vel dicto, vel facto usque modo præter membra amputationem, vel debilitationem, & præter falsitatem, incendium, stuprum, adulterium, incestum, fornicationem, nullatenus teneantur, nisi fuerint accusati per principalem injuriatum, vel patrem, nec contra eos, vel aliquem eorum procedi possit, vel poena imponi. Sed potius autem præsenti legis absoluti sint, & esse intelligantur exceptis filiis filiabus, & deinceps injuriantibus, vel offendentibus patrem, matrem, avum, aviam, & deinceps maxime iniiciendo manum, vel erigendo ver-

T

fus

sus eos , vel alterum eorum . Exceptis famulis , & familiaribus utriusque sexus , qui contra dominum , sive patronum manus injec-  
cerit , seu aggressi fuerint offendendo , vel qui furtive subtraxissent  
præter domini voluntatem de bonis patroni ultra xii. denar. vel rem  
talis valoris . In quibus exceptuatis casibus , & quolibet eorum pro-  
cedi possit , & debeat , sicut contra personam extraneam , delinquen-  
tem , & ultra ad voluntatem , & petitionem parentis , sive patroni .

*De damno incendii, depopulationis, vel interfectionis  
animalium emendando per Comune.*

## C A P. LXXV.

**I** Tem quando acciderit aliquod genus bladi , frumenti , aut li-  
guminum , aut aliquam domum , vel cassinam , seu hædifi-  
cium aliquod , aut etiam animal , vineam , vel olivetum fore com-  
bustum , seu combustam , incisum , vel incisam , seu animal occi-  
sum fore , aut incidi comburi , vel occidi contigerit dissipanter , &  
malo modo per aliquam , vel alias personas in nostra Terra , vel  
eius districtu . Et persona , quæ prædicta , vel prædictorum aliquod  
commiscerit una , vel pluries sciri non posset , vel non sciretur autor-  
tanti facinoris facta diligentis inquisitione per Potestatem , vel Judi-  
cem nostri Comunis cum examinatione testium non pauciorum ve-  
risimiliter aptorum ad talia sciendum persona culpabili  
non reperta , & ignotum damnum illatum cuicunque speciali per-  
sonæ de nostra Terra , & habitanti in ea , vel eius districtu ex hujus-  
modi incisione , occisione , seu combustione emendetur , & resar-  
cietur per Comune nostrum , & expensis Comunis juxta extimatio-  
nem fiendam , vel factam per quatuor bonos viros extimators  
cum Sacerdotio per eos de novo præstanto      alios  
potestem si tales extimationes      Et Potestas , seu

vigore præsenti ordinamenti possit , debeat , & teneatur  
ad petitionem , vel querelam damnificati petentis , & suam peti-  
tionem de talibus offerentibus statim iniqui per se , & ejus officiales di-  
ligenter super tali damno , seu maleficio cum indicis , & tormentis ,  
& coactione vicinorum , & circumstantium loci , & aliarum  
personarum , à quibus verisimiliter possit      indagari ,  
& si potest personam culpabilem unam , vel plures reperire , vel  
facere

facere manifestare , & condemnare ipsam , & punire , & ad emen-  
dationem damnorum compellat secundum formam Statuti , & or-  
dinamenti positi sub Rubrica de incendiariis , vel alterius Juris de  
tali facto disponentis . Ubi vero ex dicta inquisitione per acta sciri ,  
vel reperiri culpabilis non poterit redacta prius per Notarium ex-  
traordinariorum dicta inquisitione in suo libro actorum , tunc Pote-  
stas , seu Judex in Concilio generali nostri Comunis proponat , &  
proponi possit , & debeat modum , & viam habendæ pecuniæ pro  
emendatione talis damni relati , & modis quibuscumque opportunis  
damnum , sive damna hujusmodi personæ damnificatae faciat Co-  
mune , ut dictum est emendari de      & hære Comunis ipsius .  
Quæ omnia , & singula Potestas , seu Judex teneatur , & debeat  
observare , & observari facere , ac exequutioni mandare sub poena  
L. libr. denar. de eorum salario pro quolibet ipsorum , & qualibet vice .

*De pœna occupantis; vel impeditis viam, fossum,  
splatum, vel aliam rem Comunis.*

## C A P. LXXVI.

**V** iam aliquam publicam , vel plateam , sive splatum , vel ri-  
pam , aut fossum Comunis occupans , vel apprehendens hæ-  
dificans , vel fodiens , aut laborans pro quolibet , & qualibet vice  
in x. libr. denar. condemnetur . Si vero non occupaverit , vel ap-  
prehenderit , sed tamen impediverit , seu impedimentum , seu osta-  
culum      apposuerit per unam diem propter quod minus  
commode per talem rem uti , vel iri , seu &      possit  
de aliis impedimentis      alicujus  
rehedificationis liceit      vel quæ fieret aliquis in tali loco  
aliqua lignamina connetta lapides , & his similia posuerit , & tenuer-  
it per dictum tempus , vel etiam ultra conscientia , vel licentia no-  
stri regiminis , quo casu ad pœnam minime teneatur . Vicinalem  
vero viam quicunque occupaverit , vel apprehenderit in C. solid.  
denar. puniatur , si tamen impediverit , vel impedimentum ibi te-  
nuerit contra voluntatem attinentium vicinorum , seu vicini per di-  
ctum tempus unius diei in xx. solid. condemnetur . Si vero autem  
de aliquo sticcato , muro , corritorio , seu barbacano , ponte , vel  
porta

porta grappo, dusimine, vel cancello Comunis aliquod lignum, lapidem, vel ferrum sine licentia Confalonierii, & Priorum, vel majoris partis ipsorum scripta per Cancellarium acceperit, vel portaverit, seu transmutaverit, aut fregerit, vel examinaverit, seu progeberit, tunc pro quolibet, & vice qualibet in C. solid. denar. condemnetur. Occupans vero apprehendens, vel impediens per dictum tempus aliquam viam propriam iter, aut actum, seu auditum alicujus contra suam voluntatem in xl. solid. denar. pro quolibet, & qualibet vice puniatur, & in quolibet casuum praedictorum tam occupans, sive apprehendens, quam impediens, vel obstatum ponens ad liberam, & expeditam relaxationem rei occupatae, vel impedite infra tres dies ex quo steterit de praedictis modis omnibus compellatur. Accipiens vero de praedictis rebus Comunis de dictis locis ad reponendum aptandum ibi de novo duplum rei acceptae, fractae, vel precipitatæ cogatur, & teneatur de facto. Et item accusatorem, denunciatorem, seu etiam relationem esse voluntus popularem, ita quod ad petitionem cuiuscumque personæ possit, & debeat procedi super praedictis, & quolibet predictorum.

*De pena frangentis pacem, & per quos pax fieri possit.*

#### C A P. LXXVII.

**P**Ax fieri possit personam maiorem annis etiam simpliciter per tutorem, vel parentem non haberet. Si vero parentem, vel tutorem haberet, sperat, fiat, & valeat de voluntate, & consensu parentis, vel tutoris, & aliter non sufficiat tamen parentis, vel tutoris ratihabitio supervenientis etiam post facto. Item fieri possit, & valeat pax etiam per Procuratorem, tutorem, curatorem, & similem personam, & etiam in absentia principalis. Fratigens vero pacem aliquo dictorum modorum, vel alter legitime factam, vel tam rumpens in xxv. denar. libr. condemnatur. Et locum habeat hoc, in eo, qui primo rumpere, vel frangere pacem incepit, & non adversario, qui postquam sibi ruptam extiterit aliquam offensionem, vel injuriam tali rumpenti intulerit, vel commiserit, quo casu talis adversarius non teneatur ad poenam, & talis rumpens perdat etiam beneficium, quod ex dicta pace perveniet, vel pervenire posset. Adeoque si in aliqua condemnatione, vel

vel exequutione fuerit aliqua detractio, seu diminutio facta posset, & debeat nihilominus contra eum fieri executio de quantitate, vel re, in qua detractio, vel diminutio facta fuerit non obstante, quod condemnatio, vel poena impositio aliter se habeat, vel fuerit sublata, vel cancellata. Excipimus à poena predicta hominem, & personam minorem ætatis x. annorum, quamvis si aliquis tutor, vel curator, tutorio, vel curatorio nomine rumperit, vel frangit pacem à se factam ad dictam poenam teneri volumus, & quod modis omnibus de proprio tempore tutoris, vel curatoris teneatur.

*De pena ludentium ad ludum azardi, vel taxillorum,  
vel aliquod prohibitum ludum.*

#### C A P. LXXVIII.

**A**D ludum azardi, vel taxillorum, vel ad ludum tabularum, sive alearum, vel ad ludum prætarum, sive lapidum, sive ciono laquearum, vel virghetarum, vel ad alium ludum, in quo den. vel res alię perderentur, vel vincerentur præter infra scriptos casus exceptuatos ludens, faciens, sive jocans in solid. L. denarior. pro quolibet, & qualibet vice puniatur. Tenens autem receptans, aut patiens ludi, vel ludum fieri, aut luxores ad ludendum ad aliquem de praedictis ludis in domo, ac habitatione propria, vel conducta qualibet vice in duplum praedictæ quantitatis, & poenæ puniatur. Nisi talis in cuius loco aliquo praedictorum praedicta committerentur notificaverit nostro regimini statim, & antequam ludus sit expeditus, quo casu non teneatur ad poenam. Potestas vero ad aliquem ludum de praedictis aliquem denarium, vel monetam, aut pecuniam aliquam, vel aliquod pignus puniatur pro quolibet, & qualibet vice in xx. solid. denar., & quod præstaverit perdat omnino, nec super his audiatur in jure. Tabolarium ludum taxillos, vel aliquod simile ad aliquod praedictorum mutuans, commodans, vel etiam dans per se, vel alium in xx. solid. denar. pro quolibet, & qualibet vice puniatur. Excipimus à praedictis poenis omnes, & singulas personas, quæ praedicta, vel aliquod praedictorum commiserit in nostra Marina, vel spiaggia inter cassinas, vel habitationes, & litus, & rivi, & infra versus insulam prope dietas habitationes per xxx. cannas. Item excipimus, quod Potestas, seu Vicarius

carius posset concedere licentiam generalem ludendi , & prædicta facienda in vigilia Nativitatis Domini cum duobus diebus sequentibus , vel alia ipsarum dierum . Item excipimus omnino ludum scacorum , qui ex ingenio , & non fortuna dependet . Item ludum tabularum ex totis tabulis . Similiter excipimus in quibus licite ludi præstari , & reptari possit nulla prædictarum pœna obstante . Præterquam in taberna , vel in aliquo loco ubi vinum venderetur , in quo sine omni exceptione prædicta omnia , & singula , & quodlibet prædictorum fieri , vel committi prohibemus expresse sub pœnis predictis . Volumus etiam , quod de prædictis , & quolibet prædictorum quilibet prædictorū accusare , vel denunciare , & referre , & si voluerit ejus nomine teneatur secretum , & si luxerit , vel aliquod commiserit ad ipsum ludum notificatum non teneatur ad aliquam pœnam . Siquidem retulerit , vel notificaverit eadē die , & solus antequam ad notitiam regiminis aliter pervenerit , & de talibus delictis , & quolibet eorum stetur , & credatur juramento , & dicto referentis cum uno teste fide digno , & bonæ famæ , & libere credatur , & stetur relationi , & inventioni cuiuslibet officialis berronarii , vel familiaris , & omnes , & singulæ dictæ pœnæ solvantur , & exigantur de facto sine omni processu , & solemnitate Juris .

*De pœna ferentium arma.*

CAP. LXXIX.

**N**ullus terrigena , vel forensis arma ferrea , vel aliter malitiose offensibilia , vel defensibilia per vias , stratas , plateas , vel trasannas , seu porticos Terræ Montis Sancti publice , vel occulte audeat possit , vel debeat portare , vel deferre ad latus , in manu , vel super se , aut in aliquo dictorum locorum tenere , vel ponere , contrafaciens si offensibilia in xl. solid. denar. si defensibilia in xx. solid. denar. pro quolibet , & qualibet vice puniatur , & hoc si terrigena , vel habitator Montis Sancti prædicta , vel aliquod prædictorum commiserit . Si vero forensis talia commiserit pro quolibet , & qualibet vice in duplo prædictarum pœnarum secundum distinctionem prædictam , si de die talia commiserit , vel fecerit . Si vero de nocte in C. solid. denar. pro quolibet , & qualibet vice condemnetur . Sed si aliquis suspectæ vitæ , & malæ conditionis , & famæ si terrigena ,

sive

sive forensis prædicta , vel aliquod prædictorum commiserit , puniatur in quolibet casu in duplo pœnarum supradictarum juxta distinctionem , et qualitatem armorum personarum , et temporum . Et exactio dictarum pœnarum contra forenses , et suspectas personas fiat de facto sine omni processu , et solemnitate Juris . Et prædicta locum non habeant , nec intelligantur in hominibus de Monte Sancto foris euntibus , vel de foris redeuntibus equester , vel pedester , nec etiam forensibus simili modo euntibus , et redeuntibus , et portantibus hujusmodi arma legata , et non nuda , vel aliter justam defensionem , et causam habentibus cuius qualitates sit , et remaneat in arbitrio regiminis . Nec etiam locum habeant in armis , quæ portarentur per aliquem , ex aliqua vera , et evidenti causa cum licentia , et authoritate regiminis , et concilii generalis nostri Comunis , in quibus casibus impune portantur . Et in prædictis , et de prædictis , et quolibet prædictorum possit , et debeat procedi ex mero officio , et ad quærelam cuiuscumque , et stetur , et credatur relationi officialis , vel familiaris Potestatis , qui taliter portantem invenerit , et se invenisse retulerit . Et ad cautelam volumus , et firmamus , quod Potestas , seu Vicarius teneatur , et debeat vinculo juramenti , et pœna xxv. libr. denar. de suo salario saltim semel in hebdomada qualibet mittere aliquos de officialibus suis modo consueto ad rimandum per Terram Montis Sancti contra arma portantes , et alia illicita committentes contra formam nostrorum Statutorum , et ordinamentorum .

*De pœna euntium post tertium sonum campanæ.*

CAP. LXXX.

**D**E nocte post tertium sonum campanæ , usque ad horam matutinarum , vel antequam pulsatum esset ad matutinum quicumque per aliquem officiale , vel familiarem Potestatis , seu Vicarii fuerit inventus ire per Terram Montis Sancti , vel extra domum morari , stare , vel esse , de quo libere stetur , et credatur relationi officialis , vel familiaris in quinque solid. denar. de facto , et sine processu puniatur . Prohibemus etiam ne aliqua persona habitatrix Montis Sancti , vel ejus districtu bonæ conditionis , et famæ reperta dicto modo in aliquo crimine , vel delicto duca-

ducatur, et duci possit ad regimen per familiam, vel officiales prædictos si fidejussores de Monte Sancto condemnari voluerit, sed potius personaliter relaxetur, et dimittatur, qui sequenti manc revertatur ad mandata Curiæ, et dicta pœna puniri, ut Juris fuerit. A prædictis excipimus, qui pro medicina, vel pro medicamine, et visitatione alicujus infirmi evidenter iret, vel accederet. Item Notarius, et testis, iens, et rediens pro quolibet testamento, vel ultima voluntate, tunc faciendo, vel de facto, seu facta per aliquem graviter infirmum. Item Barberius ivisset ad flebotonandum, vel coppandum aliquem graviter infirmum. Necnon marescalcus, qui ivisset, et accessisset causa medelam danni alicui animali evidenter patienti. Item duo socii cujuslibet prædictorum exceptuatorum bonæ famæ. Item quicumque bonæ famæ iret, vel inventus esset cum igne, vel lumine, necnon persona, quæ reperta fuerit infra tertiam domum suæ habitationis computandam. Item famulus cujuscumque friscularii, vel mercator, qui iret, vel rediret pro mensurazione, sive portatione olivarum, dumodo licentiam habuit à regimine. Item qui iret causa olei portandi, vel faciendi tempore frisculorum, vere, & non ficte; necnon iens, & rediens causa actuationis, & conciminis alicujus bestiæ. Item quilibet tarda hora, & ipso tempore veniens ex extra portam. Item quilibet custos iens, & rediens causa custodiæ sibi impositæ. Item qui ad aliquem rumorem manifestum, vel ignis incendium accesserit in eundo, vel redeundo, aut ad aliquem mortuum, vel alia simili re vera occasione habita, in quibus exceptuatis personis, & casibus dictæ pœnæ, vel alia ratione dictæ prohibitionis non vendicent sibi locum, & regimen teneatur vinculo juramenti, & pœna C. solid. denar de suo salario quilibet sero facere more solito pulfare campanam tribus vicibus diversis, & distantibus satis ad extensam, & in tertio sono dari faciat tria mutta, & demum mittere officialem, & famulos ad cercam contra prædictos.

Quæ-

Qualiter occurratur ad rumorem.

## C A P. LXXXI.

**Q**UOTIES ALIQUIS RUMOR INSURGERET, VEL FIERET CAUSA ALICUJUS MALEFICI, AUT DELICTI, IN QUO ALIQUOD MALEFICUM, VEL DELICTUM FORET COMMISSUM, SEU COMMITTERETUR, TUNC OMNES, & SINGULI ASTANTES, & CIRCUMSTANTES, AC VICINI, & PROXIMI, QUI VERISIMILITER TALEM RUMOREM SENTIRE, SCIRE, VEL AUDIRE POTUERIT, SEU POSSET TENEATUR, & DEBEAT AD IPSUM RUMOREM ACCURRERE CUM ARMIS, & SINE, & QUEMLIBET MALEFACTOREM EX CUJUS MALEFICIO, VEL DELICTO DICTUS RUMOR RESULTAVERIT, VEL IN IPSO RUMORE DELIQUERIT JUXTA SUUM POSSE, CAPERE, DETINERE, & IN FORTIAM REGIMINIS DUCERE, & ASSIGNARE, & CONTRAFACIENS QUILIBET, & VICE QUILIBET IN LIBR. XXV. DENAR. CONDEMETUR.

De pœna noxiū facientis in palombaria.

## C A P. LXXXII.

**F**RANGENS, VEL INTRANS PALOMBARIAM ALIENAM SINE LICENTIA DOMINI, & EXTRAHENS COLUMBOS, VEL PIPONES QUILIBET IN L. LIBR. DENAR. QUILIBET VICE CONDEMETUR. INTRANS VERO IN EA, & COLUMBUM, VEL PIPIONEM, VEL ALIUD NON ACCIPIENS INDE, VEL ADHERENS SCALAM LIGNUM, VEL RAMUM, AUT COMPONENS LAPIDES, VEL ALIQUOD SIMILE AD PEDEM PALUMBARIAE IN XXV. LIBR. DENAR. PRO QUILIBET, & QUILIBET VICE CONDEMETUR; DUM TAMEN ACCEPERIT COLUMBUM, VEL PIPIONEM CONDEMETUR DE ACCEPTIONE TANTUM, & NON DE ALIIS. ET SI ASCENDERIT, & NON ACCEPERIT, CONDEMETUR DE ASCENSU TANTUM, VEL INTROITU, & NON DE ALIIS PRÆDICTIS. PROHICIENS VERO IN PALOMBARIAM, VEL MITTENS ALIQUID NOXIUM SINE DOMINI VOLUNTATE IN X. LIBR. DENAR. CONDEMETUR. CAPIENS AUTEM ALIENUM COLUMBUM PALOMBARIAE, VEL DOMESTICUM ALIBI QUAM IN PALOMBARIA CUM RETE, LAQUEO, ADESCATIONE, SEU VENATIONE, VEL ABEVERATORIE IN X. LIB. DENAR. PRO QUILIBET, & QUILIBET VICE CONDEMETUR. ATTENTANS AUTEM PRÆDICTA, VEL ALIQUOD PRÆDICITORUM FACERE, & NON PERFICIENS VIDELICET APPONENDO REM IN DICTIS LOCIS AD HÆC APTEM IN XL. SOLID. DENAR. PUNIATUR, & HUJUS REI ACCUSATIO,

tio , denunciatio , seu relatio à qualibet persona recipiatur , & quo- libet modo procedi possit , & stetur , & credatur Sacramento referentis bonę conditionis , & famae cum dicto unius testis similis famae , & conditionis , & in quolibet dictorum casuum damnum pa- sum per talem delinquentem emendetur in duplum .

*De non procedendo contra unam partem quando non proceditur contra aliam.*

C A P. LXXXIII.

**C**um in Judiciis æqualitas sit servanda , nec Judicium debeat claudicare , siccirco disponimus , quod quando ex aliqua occa- sione alicujus maleficii , vel delicti alicujus contumeliae , vel injuriæ verbo , vel facto vicissim commisso , seu illatè per plures , & inter plures procederetur procedendum esset , vel procedendum fue- rit contra unam , vel alteram partium , aut contra omnes , & con- demnatio , aut pœna impositio per nostrum régimen fieri , vel execu- tioni mandari non potuisset , vel non posset contra alteram par- tium , quæ deliquerit , vel quæ in processu deducta , vel ducenda fuerit , tunc contra aliam partem similiter Judicis officium conquies- cat , nec per regimen procedatur ad aliquam condemnationem , vel pœnae impositionem , aut executionem , & si fecus fecerit , vel fie- ret hac exceptione adjecta non valeat ullo modo , & contra hujus- modi formam regimen sit , & intelligatur omni jurisdictione pri- vatum .

*Quod super maleficio , & delicto procedatur non obstante ordinamento in contrario.*

C A P. LXXXIV.

**O**rdinamus quod Potestas , seu Vicarius nostri Comunis proce- dat , & procedere teneatur , & debeat super omni , & de omni maleficio , excessu , vel delicto commisso , & committendo verbo , vel facto à quacumque persona præter adulterium , & for- nicationem , & stuprum , & processum contra delinquentem forma- re quacumque via procedendi mox , & indilatè postquam malefi- cium ,

cium , sive delictum ad notitiam ipsius , vel suæ curiæ pervenerit , vel relatum fuerit à quocumque , ita quod ipsa persona die , & ipso processu formato constat in actis præhabita plena informatione deli- citi , & die immediate sequenti committatur , referatur , & fiat ci- tatio rei ad se excusandum , & defendendum à tali processu , ita- quod ipsa sequenti die constat in actis , & si opus fuerit nihilominus , & sine mora sequenti tempore fiat citatio , ita quod bene sufficiat , & valeat de jure , & demum ad alios opportunos , & consuetos actus procedatur saltim usque ad publicationem processus , non obstante quod si in aliquo contrario , vel diverso Statuto , vel ordinamento nostri Comunis contineretur contra talem personam , vel super tali delicto non possit , vel non deberet procedi , & hoc tam ad petitionem cuiuscumque petentis , quam ex mero suo officio . Te- neatur etiam talem processum accusationis , denunciationis , vel in- quisitionis cum citatione ad excusandum , & relatione integra , & perfecta , & nihilominus alia acta , usque ad juramentum testium parti petenti in publicam , vel in privatam formam manu sui No- tarii maleficiorum , vel alterius ad petitionem partis dare , & exhibere cum effectu . Possit tamen Notarius maleficiorum si ipse ad pe- titionem partis scripserit , publicaverit , recipere solutionem de tali secunda scriptura , usque ad plenam , & perfectam citationem , & relationem inclusive partis expensarum .

*De non faciendo compositionem cum sbanditis , & condemnatis .*

C A P. LXXXV.

**Q**uoniam impunitas delictorum incentivum tribuit delinquendi , ideo hoc salubri Statuto mandamus , quod nemo deinceps , qui sit condemnatus in nostro Comuni personaliter , vel pecunialiter pro aliquo delicto , maleficio , vel excessu , & suam condemna- nem non solverit cum effectu Cameræ nostri Comunis , qui pro ipso Comuni recipienti , prout in ejus sententia continetur , nisi dictus condemnatus steterit extra Terram Montis Sancti per quinque annos continuos post ejus condemnationem possit , & debeat per se , vel interpositam personam , quod super tali ejus condemna- nem fiat compositio aliqua , & qui prædicta petierit , vel alias pro eo

eo talis sic petens statim ipso facto incurrat pœnam xxv. libr. denar. quam pœnam Potestas, qui pro tempore fuerit exigat de facto, & in nostro Comuni devenire faciat cum effectu sine aliqua diminutione pœna tali Potestati negligenti in prædictis xxv. libr. denar. Et quod Potestas, Vicarius, & Priores Terræ Montis Sancti pro tempore existentes nullam petitionem de prædictis admittere debeant, vel præponere, quod dimittatur in concilio aliquo generali, vel speciali, vel creditrix, vel in aliqua cernita sub pœna Potestati, & Prioribus, & cuilibet eorum contrafacentibus xxv. libr. den. & Cancellario, qui eam scripserit, vel legerit x. libr. denar. Et nullus aliis tantæ existat audacia, qui debeat in aliqua cernita concilio creditrix, concilio speciali, vel generali dicere, vel arrengare directe, vel indirecte, quod talis petitio admittatur, vel quod in concilio proponatur, vel quod hujusmodi compositio fiat sub pœna contrafacenti C. libr. denar. sine aliqua remissione, & nihilominus remissio, vel compositio facta de aliqua, vel super aliqua compositione non valeat, nec teneat ullo modo vigore præsentis Statuti.

*Quod non fiat divisio quarteriorum in trepidiando  
in festo Sancti Angeli, & Sancti Girii.*

## C A P. LXXXVI.

**A**d tollendam rixarum materiam statuimus quod tempore festivitatum Sancti Angeli, & Sancti Girii de Mense Maii nullus de nostra Terra, vel aliunde audeat, vel præsumat trepidiare per dictam Terram Montis Sancti, vel extra in garam alterius, & quod illi de uno quarterio non tripudient divisim, & separatim ab illis de aliis quarteriis, sed omnes personæ cuiuslibet quarterii in simul ad invicem, & mistim personæ unius quarterii cum aliis quarteriis absque aliqua divisione, & separatione quarteriorum tripudient, & solarentur tam intra Terram, quam extra. Qui vero contra præsens Statutum fecerit ipso facto incurrat pœnam x. libr. den. quam pœnam Potestas, & Vicarius de facto statim exigat, & venire faciat in Comuni sine aliqua diminutione, vel duplicatione, & Priores, qui pro tempore fuerint debeant sollicitare Potestatem, ut puniat contrafacentes pœna Potestati, & Prioribus negligentibus in prædictis x. libr. denar. pro quolibet. Possint tamen Potestas, &

Vica-

## T E R T I U S:

Vicarius tales contrafacentes punire de facto ut supra dictum est,  
vel via ordinaria procedere contra eos, & eos condemnare, ut su-  
pra pro eorum libito voluntatis.

229

*Quod in festo Carnisprivi nullus tripudiator exeat  
de suo quarterio tripudiando.*

## C A P. LXXXVII.

**Q**uia in festo Carnisprivii aliquando propter tripudia rixa, & scandala oriuntur ad extirpandum prædicta hoc Statuto firma-  
mus, quod nullus terrigena forensis in nostra Terra audeat, vel præsumat à die Carnisprivii, & etiam in nocte tripudiando exire de suo quarterio, sed quilibet de suo quarterio honesto modo tripudiat solatietur, & gaudeat; contrafacentes Potestas, vel Vicarius de facto puniat, vel per condemnationem, prout eis videtur expedire in libr. decem denariorum pro quolibet contrafaciente, absque aliqua diminutione, vel augmentatione, & quando tripudiantes accedunt ad plateam tripudiando non possint, nec debeant cum eorum tripudio stare in dicta platea, nec tripudium in dicta platea tenere, nisi per spatiū unius horæ, & non ultra, sed potius redire debeant ad eorum quarterium sub dicta pœna, & quando tri-  
pudiantes de uno quarterio sunt in platea alii tripudiantes de aliis quar-  
teriis, & alio quarterio non veniant ad plateam, donec de platea non recedunt, qui primitus erant; contrafacentes pœna supra scripta puniantur.

*Quod nullus trahat ad ignem, nisi ad prædicta deputati.*

## C A P. LXXXVIII.

**V**olumus, & præsenti Statuto firmamus si acciderit, quod ali-  
quis ignis accenderetur in aliqua parte nostræ Terræ de die,  
vel de nocte, quod Deus avertat, quod statim campana Comunis  
Montis Sancti, & campana illius Ecclesiarum, quæ magis propinquæ  
est domui, vel loco ubi est ignis accensus pulsetur ad ignem, nec  
pulsetur alia campana, & quod ad dictum ignem trahant subito  
xxv. homines, qui per Comune deputati erant in dicto quarterio,  
V. vel

L I B E R

<sup>119</sup>  
vel contrata ubi est ignis accensus ad trahendum ad ignem. Qui homines xxv. sic deputati pœna x. libr. denar. pro quolibet immediate cum audiverint campanas, absque aliqua mora cum armis, & ferramentis, & aliis instrumentis aptis ad extinguendum ignem, vadant ad locum ubi est accensus dictus ignis, & dictum ignem diligenter extinguant toto eorum posse. Et res existentes in dicto loco, vel domo ubi est ignis extrahant, & legaliter & quod nullus alius debeat trahere ad dictum ignem, sed solumodo prædicti ad hoc deputati, & etiam consanguinei, & affines attinentes, & vicini illius, in cuius loco fuerit dictus ignis. Qui vero contrafecerit condemnatur in libr. xxv. denar. sine aliqua dupplicatione ratione loci, vel temporis, & Potestas, qui pro tempore fuerit statim debeat mittere unum ex officialibus suis cum familia ad locum dicti ignis, qui officialis diligenter inspiciat, & querat si ad dictum locum accessit alius, quam supradicti deputati, & si ibi aliquem invenerit eum expellat, & eum scribat, & referat Potestati. Potestas vero contra tales procedat, & nihilominus dictus officialis cum familia sollicitet, quod ignis extinguatur, & attendat, quod nullus accipiat, vel futetur, vel aliquo modo tramutetur de rebus extinctis de domo, vel loco ignis, & si invenerit aliquem furantem, vel malo modo accipientem de dictis rebus illico cum capiat, & duci faciat ad palarium justitiae secundum ejus demerita subitur. Et quod omni anno de mense Septembri in Concilio generali elegantur supradicti C. homines, videlicet ex qualibet quartorio <sup>xxv.</sup> homines apti ad prædicta, qui sint deputati ad supradictum ministerium ignis, & jurent in manu Potestatis, vel ipsorum officialium, vel Dominorum Priorum eorum officium bene, sollicite, & legaliter exercere.

*Quod nullus emat rem litigiosam.*

C A P. LXXXIX.

**S**TATUIMUS, & ordinamus, quod nulla persona de Terra Montis Sancti, vel habitatrix eidem audeat, vel presumat emere ab aliqua persona terrigena, vel forensi aliquam rem mobilem, vel immobilem, vel se moventem litigiosam existentem, vel sitam in Terra Montis Sancti, vel in ejus territorio, & districtu videlicet de

T E R T I U S.

<sup>231</sup>

de qua re mota sit aliqua controversia, lis, seu quæstio, seu litigium inter aliquos de Terra Montis Sancti, vel aliunde coram dicto Domino Potestate in dicta Terra Montis Sancti in Curia Domini Potestatis dictæ Terræ, vel ejus Vicario, vel in Curia Domini Episcopi, vel ejus Vicarii, vel in aliqua alia Curia in dicta Terra Ecclesiastica, vel Sæculari, & coram quocumque alio officiali Ecclesiastico, vel Sæculari in dicta Terra, vel coram quocumque arbitrio arbitratore, vel amicabili compositore. Et qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, tam emens, quam vendens, condemnetur per dictum Potestatem, vel Vicarium in libr. quingenitis denar. pro quolibet eorum, & nihilominus talis emptio, venditio, vel talis contractus non valeat ullo modo, nec aliquem sortiatur effectum, sed potius dicta res sic empta, vel vendita ipso jure, & facto deveniat in Comuni authoritates præsentis Statuti, quod Statutum in Terra nostra volumus in perpetuum observari.

*Quod non possit procedi super maleficiis antiquis.*

C A P. LXXX.

**S**uper maleficio, & delicto commisso, facto, vel perpetrato à x. annis ultra præcedentibus computandis, ex die commissi delicti usque in diem formandi processus non possit, nec audeat procedi, aut cognosci, sed potius vigore præsentis Statuti talis præscriptio x. annorum officialibus, & officio nostri Comuni pœnitius obstat in delictis, & processibus factis, & faciendis. Ita quod de quolibet delicto tantum infra x. annos à die commissi delicti procedi, & cognosci possit, & non demum.

*Quod bona delinquentium sint obligata Comuni.*

C A P. LXXXI.

**B**ona malefactorum, & delinquentium, & tempore delicti, seu maleficii commissi ipso jure, & facto sint, & esse intelligentur obnoxia, & efficiantur obligata nostro Comuni. Ita quod nulla sequestratio, obligatio, alienatio, vel hypothecatio possit

V. 2

## L I B E R

possit dicto Comuni præjudicare in dictis bonis quantum ad poenæ delinquentium , & quantitates earum in totum , vel in partem . Et actio maleficii puniendi sit , & reputetur non tantum personalis , sed etiam realis pro concursu imponente , & exigen- te quantitates poenæ . Salvo ubi mors rei , seu malefactoris inter- venerit ante sui excusationes , seu contestationem super ipso ma- leficio , vel excessu , quo casu Jura Comunia obseruentur .

*Explicit liber tertius maleficiorum.*



L R

## L I B E R Q U A R T U S.



Fficialis ad officium damnorum datorum deputati in Terra Montis Sancti , ejusque territorio , & districtu ipso jure , & facto habeat , & habere intelligatur plenam jurisdictionem cognoscendi , puniendi , examinandi , & decidendi insuper , & de omnibus , & singulis damnis , quæ dari contingent personaliter , & cum bestiis à quacumque persona , vel bestia in re , vel possessione aliena juxta formam Statutorum pertinentium ad officium ejus , & præsenti quarto libro inferitorum . Habeat etiam jurisdictionem curam , & sollicitudinem faciendi reparari , & etiam aptari si opus fuerit de novo formari , & fieri , ac etiam manuteneri , & gubernari per homines Montis Sancti fontes , pontes , & vias per omnia , & singula opportuna . Dum tamen de bonis , & Comunis ultra C. solid. denar. pro qualibet reparatione , seu hædificatione absque speciali deliberatione concilii generalis expendere , vel expendi facere non possit . Et dum tamen ardua negocia hædificationis , vel reparacionis multas , & longas operas exigentia simili modo non aliter expendat , quam cum deliberatione dicti concilii , & in prædictis omnibus , & singulis , & dependentibus ab eisdem habeat autoritatem Potestatem præcipendi , & personaliter cogendi bandiri faciendi poenæ , & banna imponendi , mulctandi , & exigendi prout viderit expedire , dum tamen ex arbitrio suo poenam ultra xx. solid. pro qualibet , & qualibet vice imponere non possit , nec etiam exigere . Et in casibus expressis in Statuto poenam Statuti non excedat , & si excescerit , vel majorem poenam imposuerit , quam dictum est ipso jure sit nulla .

*De salario Officialis damnorum datorum , & ejus solutione .*

## C A P. II.

**S**Alarium dicti officialis pro singulis sex mensibus sit , & esse debeat tantum de C. solid. denar. par solvendum de mense in mense per manus Camerarii Comunis non de aliis pecuniis , vel rebus , quam ipse de his , quas ipsem officialis pervenire fecerit in Comuni , habeat etiam per Comune unam competen-

V. 3

tem